B.-L. 5271.

W. C. Ackerdyck.
13 mai 1780 ed 2.

BIBLIOTH. PUBL. GANDAV. D.D.F.D. HAEGNER
IDES EU
UNI GENT

J. J. Boissardus Elegis scripsit epistolas ele-
gantissimas huic Melisso vid. P. Borrichius
in dissertat. de poët. pag. 133.

Idem de nostro Melisso ait: sive in mo-
dos Pindaricos stilum vertit, sive Horatia-
nam inflat lyram, sive parodias exit
inimitabile propemodum afficit Dulcedine
lectorem, quin & elegi ejusdem leniter fluunt
& epigrammates sua non desunt acumina
ut vel ex eo colligas licet, quod in honorem Frede-
rici II Daniae &c. Regis exarauit &c. vid pag. 133

Idem Borrichius ibidem pag. 130 ait: Felicem
Fidlerum commendant sua flumina elegis li-
bere & leniter fluentibus sonora, decora, nec de-
generant ejus epithalamia & alia diversi generis.

Paul Melissus Schedius ale-
mans né a Melrichstat en Franco-
nie l'an 1539 le 20 decembre mort
a Heidelberg l'an 1602 le 3 jour de
Fevrier, passe pour un des meilleurs
Poetes Latins que l'Alemagne ait
jamais produits. Voyez Baillet
jugements Tom. IV Part. 1 pag. 219.
art. 1060.

videatur Saxii Onomastic. Litter. par. 3. pag. 570. Secundum quem Paulus Melissus alioquin Schedius Balthasaris Schedii & Ottiliae Melissae filius natus est 1539 obiit 1602; & jam circa annum 1585 et fortassis citius inclarunt, quoniam eius Schediasmata poëtica secundo edita & multo auctiora Lutetiae Paris. 1586. 8 prodiisse dicuntur, ex hac autem editione patet eum jam inclarnisse 1574. in Catal. Biblioth. P. A. Bolongaro Crevenna a. 1789 Amstel. ed. alia adhuc & posterior horum Schediasmatum editio N° 4515 pag 351 part. 3 memoratur hoc modo: Melissi Meletematum piorum Lib. VIII paraenticarum II, parodiarum II, psalmi aliquot Francofurti ad Moenum 1595. in 8.

χεδιάσματα dicta a χεδιάζειν. quod est extemporaneare & significant itaque carmina exporanea & illaborata, quae alioquin vocant Sylvas.

de Carolo Utenhovio, cui auctor ipse hoc exemplar, ut ex authographo in titulo patet, dedicavit, sive Uijttenhoven Gandavensi, et cujus saepius in hocce libello mentio fit, videatur Foppens Bibliotheca Belgica, parte prima pag. 165.

hh
BL. 5471

MELISSI

SCHEDIASMATA POETICA.

Item FIDLERI FLVMINA.

Privilegio Cæsareo.
FRANCOFORTI AD MÆNVM,
Anno Christi 1574.

BIBLIOTH. DE L'UNIVERSITE DE GAND

C. Vtenhovio Suo
dd Melissus. C. T.
Sum Antonij Mauclercq

ITALIS, GALLIS, HISPANIS POETIS.

PErfacile est vobis, cultissima turba poëtæ,
Iungere disparibus verba Latina modis.
Sugitis immulso nutricis ab ubere, quæ nos
Vix bibimus brumis aure patente novem.
Haud tamen abjungēs exotica pectora Phœbus
Arcet ab Aonij cælite fontis aqua.
Francia Germanis celebres tria sidera vates
Celtin, & Huttenum, Lotichiumq; tulit.
Additus his patriæ numerer nisi quartus, ut inter
Sidera perpetuo stella decóre micem;
At stellā referens, aliquo quæ tempore saltem
Duret, honorifica luce cometa fruar.

AD IOSEPHVM SCALIGERVM IVLII CÆS. F.

IOsephe, arbiter utriusque linguæ,
Insignis Sophocleio cothurno,
Scalanæq; decus perenne gentis;
Speras, nil nisi mel dari legendum
In tritis Schediasmatωn libellis.
Si non quæq; favis scatent Hymetti,
Nec promulsîde mellea madescunt,
(Nam mel si nimiũ est, & ipsum amarum est)
Cæsaris nec apiculas parentis
Nec suaveis epidorpidum sapores
Aut manes redolent Catullianos;
Diri nil tamen his ineſt veneni,
Nil succi malè prosperæ cicutæ.
At non dulcia cuilibet palato
Arrident. juvat acrimoniarum
Condímen piperitidis, pyrethri,
Sinapisve dracunculive multos.
O si quis moderabili sapore
Gustus Earinωn voluptuosus
Iosephe imbueret tuum palatum:
O si quis penetrabili sonore
Concentus Melicωn decens meorum
Concinnas tibi verberaret aures:
Quanto applaudere cerneres ovatu
Lætantes Heliconias puellas!
Nam quæ Scaligero meo placebunt,
Placebunt Latioq; Græciæq;.

LECTO-

LECTORI.

Ingeris, & palma ruſpante poëmata verſas
Lector; an hinc magnæ prodeat artis opus?
Nil tibi polliceor, præter ſchediaſmata. nonne
Promiſsis ſteterim, ſi ſchediaſma legis?

DE CARMINIBVS ET CANTILENIS EXIMII POETAE PAVLI MELISSI SCHEDII.

IOACHIMVS CAMERARIVS Pabeperg. Anno 1565.

CVm rebus possent in quo considere tandem
Musæ, & sua tota quasi supellectile,
Quærebāt nidū paßim in Germanide terra,
Exterminatæ & hoc & illo de loco:
Quum Schedij his artis præstans inventa facultas
Et singularis ingenij egregium est decus.
Non modò qui verbis sciret componere versus,
Quorum puderet haud Apollinis fides;
Verùm ornare modis quoq; delectabile carmen
Cantus suävis & elegantis consonis.
Vno hoc excellentem alium reperisse licebit,
Vtroq; clarus an extet usquam nescio.

Τῦ αὐτῦ.

Πιερίδες σχεδιαζόμενον Σχέδιόν ποτ' ἰδοῦσαι,
Σπουδάζων τί δ' ἔφαν οὗτος ἀπεργάσεται;

Id est, interprete C. Vtenhovio.

Fortè videns Schedij schediasmata ludicra Pauli
Pieris, Ecquid agens seria condet? ait.

T.

T. B. V.

Anno Christi 1569.

Mellitissime, quaeso, mi Melisse,
Quo mellita magis nec ipsa mella,
Nec ipsi lepidi magis lepores,
Nec est ipsa Venus magis venusta;
Quisnam hoc nomine te beavit augur?
Fallor, an tibi vel novem Camœnæ,
Vel ipsæ Charites tibi hoc, Melisse,
Præsagæ puero dedere nomen?
Sed o parcite vos mihi, Camœnæ,
Et vos o Charites. Melissus iste
Quorsum? nam potius vel est melipsum,
Vel est ipsa opifex μέλισσα mellis,
Vel certè ipsius officina mellis.

Εἰς παῦλον μέλισσον χέδιον
μελύδριον,
ἐκ τῶν τοῦ βηζᾶ.

Γλυκερώτερ' ὦ μέλισσε
μέλιτός τε, κὐσριδός τε
χαειέσερ', ἠδίοντε
χαείτων τε μυσέωντε,
ὀνόμηνε τίς σε γ' ἄτως
ἐπ κοῦρον ὄντα μούτις;
σε μέλισσον οὐκ ἄρ' ἐχρῆν
φίλε παῦλ', ἀτὰρ γλύκισσον

μέλι μᾶλλον, ἢ μέλισσαν
μελιτεργὸν, ἢ πιφαύσκειν
μέλιτος τὸ σίμβλον αὐτὸ,
μέλιτός τε καὶ μελισσῶν
γλυκερωτέρους ποιοῦντα
γλαφυρωτέρους τε ῥυθμοὺς
ἑτεροτρόποις ἐν ᾠδαῖς.

μά. ΚΑΡ-ὈΛΟΣ ΟΤΘΕΝ-Ω̃-ΒἸΟΣ.

IDEM C. VTENHOVIVS
secundo Allusionum libro.

SIve opifex mellis tibi docta Melissa Melissi,
Sive melos nomen culte Melisse dedit;
Inspiciat melius si quis tua carmina paulo
Haud alio, dicet, nomine dignus eras.
Nam q; apis edoctus tu more modo q; Matinæ
Teutonicum fingis, Romuleüm q; melos.

τῷ αὐτῷ
εἰς τὴν μέλισσαν.

Τῷ καὶ ἀπὸ σόμα]ος μέλιτος γλυκίων ῥέεν ᾠδὴ,
τῷδ' ἄπο καὶ γλυκερὴν ἔχες ἐπωνυμίην.

HENRICVS STEPHANVS
Libro primo Epigrammatum.

NOn equidem miror si nunc taciturnus oberras,
Haud q; placent illi qui placuere joci.

Quid

Quid mirum? in doctis es totus Paule Camœnis:
Totus ibi est animus, mens ibi tota tua est.
Fallor: habes potius totas in pectore Musas:
Hoc tua fœta illis carmina nanq; probant.

G. FABRICIVS CHEMNICENSIS.

CArmine sunt quos Musa beat, quos Musica cãtu,
Sed solos: Schedio Phœbus utrumq; dedit.

GERARTVS FALKENBVRGIVS.

Ὄζει ἀριστοπόνου σὰ μελίσματα καλὰ μελίσσης,
οὔνομα καὶ τοίνυν σεῖο μέλισσος ἔφυ.
ἢ ἀπὸ πινδαρικοῦ λάχες ὄνομα κεῖνο μελίσσου,
ἢ ὅτι νῦν ἐσὴν ἐσὶ μελιζομένων.
χαῖρ' ὄνω ὦ πανάριστε, φερώνυμε χαῖρε μέλισσε,
ἡδὺ μελίζοιο φερβόμενος μέλιτι.

IOAN. POSTHIVS GERM. De cantionibus Melissi, musici & poëtæ laureati.

ARte fuit gemina quondã celeberrimus Orpheus,
Carminibusq; sacris, harmonicisq; sonis:
At tanti nusquam vatis monumenta supersunt.
Quis novus ergo Orpheus temporis hujus erit?
Nullus erit: vel erit Paulus meüs ille Melissus,
Orphea qui geminis artibus æquiparat.

Pascit enim doctas divino carmine mentes,
Harmonicisq; idem mulcet eas modulis.

IO. LAVTERBACHIVS P. L.

OS Hermetis habes, modũ Apollinis, harmoniasq;
Orphei: tres unus docte Melisse refers.
Ore, modo, harmonijs, Hermetis, Apollinis, Orphei,
Profer, conde, sona, verba, poëma, melos.

Idem.

Hermes eloquij virtute, poëmate Phœbus,
Cantandiq; Orpheus alter in arte manes.
Hermetem eloquij virtute, poëmate Phœbum,
Orphea cantandi finge Melisse modo.

I. B. ROTANVS PATAVINVS
Ad Melissum.

O Vatum decus, o facetiarum
Pater; te Veneres Cupidinesq;
Ornarunt sale, sicut & lepore.
Spiras undiq; nam meros amores.
Tibi Melpomene, Thaleia, Clio,
Dicuntur puero dedisse mammas;
Ferunt mellifluis favis fuisse
Pastum; Pegaseũm bibisse fontem.
Vincis Orphea suaviter canendo;
Vincis carmine cæteros poëtas;

Docte.

Docto, Iuppiter, & laborioso!
Quid te dulcius elegantiusve?

N. CLEMENS TRELÆVS
In Melissum.

Dvlcis mellitusq; fuit Sophiæ pater ille,
Cujus in os tenerum mella μέλισσα tulit.
Dulcior & mellitior est meüs iste Melissus,
Cujus ab ore sacro mella μέλισσα legit.

N. RVDINGERVS PISOvernas.

Melle Melissa Iovem nutrivit, apesq; Platoni
Tenella parvulis labella in cunulis
Melle rigaverunt: Heliconis at amne Melisso
Mellita primis ora ab annis proluit
Musa, & flore nitente, & puro rore canenti
Mellis locavit officinam in gutture.
Hinc, seu versu animos, seu cantu mulceat aures,
Mel æquat omne mellea dulcedine.

FRANCOIS D'AVERLY
A Paul de Melisse.

Tout ce que les doctes sont,
Tout ce que les graces ont,
Tout ce que les saiges sont,
Tu l'es, tu l'as, & scais faire.

Les

Les neuf sœurs du double mont
Apres Meliſſus s'en vont,
Portans ſon dous nom au front
Au lieu d'un grand luminaire,
En ſes vers eſt le ſainct font,
Et des ſciences le rond;
Ses vers ſont un moyen pront
De ſe polir & parfaire.

Ἐγὼ δὲ τοὶ πέμπω μεμιγμένον μέλι
λευκῷ οὐ γάλακτι.

ACROSTICHIS.

P Indare par le miel dans le blanc laict eſpars
A du poëme au vif tiré la pourtraiture,
V oulant nous enſeigner, que comme de nature
L e laict vient; auſsi doit des eſprits bien-gaillars
V enir le vers naïf, coulant de toutes pars,
S uivy toutesfois d'art, de diligence & cure.
M esme s'il eſt beſoing uſer faut de rature,
E t par l'eſcrit ronceux faire de beaus eſſars.
L es abeilles ainſi non ſans peine ſur peine
I ngenieuſement emmielent leur manoir,
S ignalant combien vaut l'induſtrieuſe veine.
S ur tous, ce laict & miel en tes vers on peut veoir;
V ers, ou nature faict avec l'art ſa demeure,
S ymboliſans afin que par toy la mort meure.

Pindarus

Pindarus per lac, quod a natura eſt, ſuavitatem innatam indicat: per mel, quod plurimo apum labore conficitur, artem & diligentiam. Sic ego in te agnoſco & vena divite copioſum ſtilum, & incredibili ſtudio & arte excultum genium: Quod ſi parum feliciter expreſsi, multum tamen integré de te judicavi. Vale.

Franciſcus Averlius.

TYPO-

TYPOGRAPHVS LECTORI S.

HAbes, Lector candide, in hoc libello autoris Melica, in quibus mele sive odæ continentur; Earina, in quibus Phalæcij sive hendecasyllabi versus: item Elegidia & Miscella; quibus additæ sunt Fidleri fluminum Germaniæ descriptiones. Epigrammatum verò libri IX. quibus Musarum nomina Melissus indidit; itemque epigrammata è Græco versa, antea ab H. Stephano excusa, seorsum prodibunt cum alijs nonnullis. Vale.

Insignia Melissi.

MANET IMMVTABILE
FATVM.

Πότμος ἀναλλοίωτος ἔφυ.

MELISSI
MELICA.

Digitized by Google

IVLIO ECHTERO EPISCOPO VVIRZIPVRGENSI, FRANCIAE ORIENTALIS Duci, Principi Patriæ, Melica sua dedicat MELISSVS.

LIBER, herus vini est; est alma Ceres hera frugum:
Hæc tantùm spicam postulat, ille botrum.
Herba Palem placat, flos Chlorin, laurea Phœbum;
Lactis item sparso guttula farre Larem.
Pensilis est tabulæ contentus munere Nereus;
Hospita sat xenio pectora vota Iovi.
Aemule cœlestum IVLI immortalis honoris,
Dulce mel è nostris tu cape dona favis;
Mel geniale, parum cui Gratia miscet acoris:
Quod tibi libandum quum sine felle lito,
Haud vereor Momos: quia multa ve magna ve non do,
Sed dare quæ potui munera cuncta dedi.

AD EVNDEM PRINCIPEM

Meliſſi epigramma.

AVT amat aut odit mulier, nec tertia res eſt;
Quàm malè tunc odium, tam bene cedit amor.
Sic prope dicendum de Muſis eſſe putarim,
Crimina ſeu laudes occinuiſſe velint.
Gloria laudatis, culpatis dedecus hæret:
Vtraq; clareſcit tibia poſt genitis.
Qui ſapit, hoſtilem vitabit habere poëtam:
Id docet Hipponax, id docet Archilochus.
Tu caras & habes ECHTERE colisq; Camœnas;
Ipſæ te redamant, te meritóq; colunt.
Vt bene ceſſit amor talis vatique tibique:
O Genium! o docti principis ingenium!

PAVLI

PAVLI MELISSI SCHEDII FRANCI, POETAE LAVREATI, Melica.

AD FONTES FRANCONIÆ. Melos primum.

LIMPIDI *fontes, & amœna pulchris*
Fontium rivis loca, vosque Nymphæ,
Queis decem totos mihi nunc carendum
Amplius annos:
Ah siti vestros quoties anhela
Pressus optavi gelidos liquores,
Obvijs possem quibus aridas re-
Stinguere fauces!
Iam sed heu multo magis acriusque
Tam salutaris avidis petisso
Haustibus lymphas, peregrinus Hunnûm
Miles in oris:
Cæsarem Thracas meditantem in hostes
Arma, dum Martis studio sequutus,
Igneos sævi tolerare cogor
Sideris æstus.
Quàm velim molli recubare in umbra,
Quá strepit vivis SALA *noster undis,*
Frondeas inter corylos, virentes
Inter & alnos!

Consitos latis patrios viderem
Vitibus colles, Cereris que campos
Fertiles, hortosque sacros, & antrum
Fontis aviti.
Heic ego evitans medio sub æstu
Fervidos Solis radios & ignes,
Amne mersarem gelido calentes
Corporis artus.
Interim (nam vos mihi denegatum est
Cernere) o fontes, o amœna pulchris
Fontium rivis loca, vosque casto
Pectore Nymphæ.
Millies salvete mihi perennes
Sint aquæ vobis, virides que semper
Populi densa coryli que ripas
Fronde coronent.
Post gravis belli varios labores,
Post vices duras miseramque sortem,
Dulce post longos meminisse casus
Ante malorum.

AD VICTORINVM Strigelium.

QVi primus a suavitate, ceu jocans,
Gentem vocavit Suevicam,
Musis amicus hic comesque Gratijs,
Carusque Cypridi fuit:
Hoc nemo quisquam nec venustius, neq; est
Locutus unquam verius.

Tacebo

Tacebo comes, melleas, affabiles
Matrum puellas gaudia;
Quas aut Nicer formosus, aut pulcher Lycus
Nymphis creatas blandulis
Eduxit. unum te, Strigeli candide,
Vel millium ponam loco:
Nil quippe suavius, nihil te mitius
Vidi, nihil jucundius.
Linguæ diserta profluit facundia
Perennis instar fluminis;
Quod fert Hymettus melle dulci dulcior,
Imbrique puro nectaris.
Suadæ medulla tu decusque gymnasi,
Tuæque flos es Sueviæ.
Quis me furorum submovens Phœbi choro
Ad arma concitat fera;
Tubas ut inter Martiumque classicum
Nudo rigescam sub Iove?
Næ dulce te coram loquentem audire, næ
Vultus identidem tuos
Spectare malim, & usque perfrui invicem
Consortione mutua;
Seniique pariter deditus Camerario
Tiliæ sub umbrosæ comis
Sedens in herba, musicis Elystrium
Mulcere flumen cantibus.
Frustra ah dolemus. quod nequit mutarier
Fatum necesse est perferam.

AD PETRVM ENOCVM.

SI certamina Marte singulari
Petre vis inire mecum;
Fac congrediare, quandocunque
Tibi collibebit.
Vtrumcunque probâris eligendum,
Neque velitationes
Leves, neque dimicationum
Gravium recusem
Pugnam. sed vereor, Latina ne non
Satis apta Gallicanis
Sint arma. pares vtrumque sané
Melius decerent
Instructus. tamen experire quicquid
Potes, aleaque jacta
Sortis gemina, reduplicatas
Age prome vires:
Nervos tende, manus pedesque firma,
Animosque semigræcos
Fortis simula, quibus resistas
Equiti Latino.
Vt bis, ter, Petre, Celticis ovatu
Potiare victor armis:
Plures mihi Teutona arma tandem
Parient triumphos.

AD GEORGIVM BVCHANANUM Scotum.

TE sive chordas Pindaricæ lyræ
Aut Flaccianum tendere barbiton
Miratur

Miratur Euterpe, canoram
Scita movere chelyn sororum;
Seu te Maronis grandisona tuba
Laudes canendo cœlicolæ patris
Stupet triumphantem, graveisque
Mæonidæ numeros tonantem:
Palmam, virorum præmia fortium
Contentiosis digna laboribus,
Concedat ultro jam necesse est
Emerito tibi, Buchanane.
Quàm Vida docti lumina seculi
Vicit poëtas carminibus pijs;
Ipsumque Vidam cæterosque
Tam potis es superare vates.
Quòd si Camœnis inferior tuis
Est nostra Clio, debilis assequi
Sublimitates, verticosi
Cui minitant juga celsa Pindi;
Musæ memento dona bifariam
Divisa. nam me multiplici sono
Natura pangendos amœne
Harmonicos docuit canores.
His Rhenus, his & perstrepit Ister; &
His Albis, his & tu reboas Sali:
Hos Mænus audit, Nicrus audit:
Hos & amant mea cura Nymphæ.
Compacta virtus fortior in tua
Existit una. tu decus orbis es,
Vatumq; princeps, Buchanane, &
Sol Scotiæ, genitalis oræ.

Certare Soli ſidera nulla ſint
Auſura, quamvis ſplendida maximé;
Nedum verecundæ Meliſſus
Franconiæ nigricans ocellus.

AD HIERONYMVM VVOLFIUM Oetingenſem.

Hyems recedit algida;
Ver appropinquat, ora
Dulci tepore proferens,
Optata floribusque
Volucribusque blandulis:
Et tu ſevere VVolfi
Nondum ſenectæ pondere
Eo gravatus usque,
Vt occubantem triſtibus
Mors obruat tenébris;
Vitale lumen nuntias
Iamjamque deſerendum?
Quin vive, vive, donicum
Tuo priùs Meliſſo
Incídat Atropi manus
Abrupta fila, cumque
Filis colum. Non, non tibi
Vmbras nigras timendum
Atrasve Tartari domos;
Convexa ſed Tonantis
Rotatili volumina
Speres videre motu

Poſſ

Post fata. Cæterùm prius
Quàm te locet supremo
Perennis immortalitas
Cœlo; fac o bibendos
Fonteis olori des meo,
Quos Pegasi refódit
Subcalcitrantis ungula;
Iisdemque, dum nitet ver,
Iunonias riges rosas.
Sic te meïs volatu
Pernice sevectum cygnus
In alta (quá fluente
Iter renidet lacteüm
Liquore) tollat astra:
Sic usque lirino comæ
Tibi fragrent inunctæ.

IN P. C.

QVanta vis hostes animi domantis,
Quæve in heroo Duce magnitudo
Mentis, & quantum queat excitatus
Pectore fervor:
Terna declarant satis illa bella
Pro focis pugnata, sacris & aris;
Clarius monstrat melius q; summæ
Hora diei;
Omnibus nervis ubi dimicando
Prælians, vires animos et totas
Exeris princeps, gravibus q; tandem
Occidis armis:

Quippe

Quippe quem nemo, nisi bellicosis
Hostium stipata manus catervis
(Proh fidem!) caræ spoliare quivit
Munere vitæ.
Tanta pol virtus, domita Zigetho,
Tale erat robur comitis Serini;
Cujus heu vidi mutila caput cer-
Vice revulsum.
Cedite o Bruti, Decij, Metelli;
Cedite hinc priscis celebres ab annis:
En recens fusi specimen dat ingens
Borbo cruoris.

AD IOAN. CRATONEM CRAFthemium, Imp. Consil. & Medicum intimum.

Amabo, mi dulcis Crato,
Cur insignia nolim
Mea decorari carmine,
Aut præconia nostro
Doctissimorum seculo
Acceptare virorum?
Si Ferdinandus Caroli
Frater Cæsaris, & jam
Tum Cæsar ipse, laurea
Me donare corona
Equestribusque censuit
Claræ nobilitatis
Insignibus, dignum sua
Majestate

Majestate futurum
Opus; probante Cæsaris
Mentem consiliumque
Toto senatu judicum:
Non est quod sibi turpe
Quisquam putet, vel se & suis
Indignum, celebrare
Cygnum meüm cum lilÿs,
Munus Cæsaris ingens.
Ferunt Alexandrum ducem
A solo nisi pingi
Apelle, & a solo nisi
Lysippo sua fingi
Commenta noluisse: sic
(Nam Cresme quoque Portus
Regem poëtarum facit)
Non hæc lilia cuivis,
Nec hic olor meüs volo
Describatur, at illis
Solùm viris, qui temporis
Nostri sunt decus. inter
Hos quum locarim te Crato,
Aegré ferre videris:
Quod dum facis, non jam meo
Adversaris honori,
Tuis sed obstas laud. bus.
Nam ponig, legig,
Doctissimos inter viros,
Certé maxima laus est.

AD

AD OBERTVM GIphanium I C.

IMproviſa Ducum fata cadentium,
Inſontesque animas immeritó truci
Lethatas nece flentem
Multis non ſine queſtubus,
Cur Oberte jubes luctiſonam chelyn
Me ſuſpendere? cur parcere lacrymis?
Non me caute Niphates,
Nec Tauri juga ſaxea,
Horrens nec genuit vertice Caucaſus:
Sed mater, Salici filia fluminis,
Qua Germanida Francen
Agnoſco patriæ ſinum.
Heu! plenos oculis fudimus uvidis
Fonteis, tot ſcatebris largiter uberes,
Vt te MÆNE *fluentis*
Exundantibus auxerint.
Mirauti alluviem fratris & impetum
Rheno Neccharicæ Najades adſtupent,
Et quas ripa Moſellæ
Triſteis elicit alveo
Nymphas. haud erit, ut mens hilari joco
Frontem mœſtitiæ nubibus obſitam
Exporrecta ſerenet:
Vultum fingere Protei eſt.
Lætos læta iuvant. cur aloë favos,
Cur abſinthia (vah!) loton amaricent?
Dic FALCONIS *habenti*

Nomen,

Nomen, Cecropijs fides
Aptet carminibus, tam citharæ sciens,
Ipsæ Mæoniæ quàm bene virgines.
Quo dicente, Giphani,
Dulcis gaudia lecturi;
Ad cœlum lepido sponsa vocabitur
Versu, suave animæ delicium tuæ:
Se totam quia gaudet
Consecrare Thalasio.
Mater tediferûm dia Cupidinum,
Trino dispositis ordine Gratijs,
Myrtataque Napææ
Ductabunt agiles choros.
Applaudet Dryadum gyrus amabilis,
Et quanta est iuvenum turba procantium.
Ipse expers Hymenæi
Abstrusos recolam specus,
Deplorans miseræ funera Galliæ.
Nam nec nobilium me fieri puto
Vatum, nec mea cedris
Insculpent metra posteri.
At vobis subolem sufficiat novam
Hæredem patrij Cypria nominis:
Forsan me sine prole
Sors vult luctibus immori.
Vt CHRISTO *placitum, sic volupe est mihi,*
Pressum cura licet tundat acerbior.
Illo dulce volente est
Vitæ claudere terminum.

AD

AD EVNDEM OB. GIphanium I C.

Attícas noctes nimis arcta furvis
Iam diu sub Cimmeriõ tenébris
Arca detentas rigido Giphani
Carcere clausit.

Credulam frustra per opinionem
Foveram spes, ambiguas futuri;
Liberas frustra fore destinaram
Compede vinctas.

Qualis, astrorum duce Noctiluca
Menstruos gyrante globos, eburnâ
Futilis párens fore somniorum
Ludit imago:

Haud secus vanis taciti involucri
Hactenus mentes avidas figuris
Noctium Phœbo gravis Atticarum
Vmbra fefellit.

Non eas Aristophanis lucernæ,
Non eas pernox oleüm Cleanthis,
Non eas priva pote luce quisquam
Reddere claras.

Allaborandum fuit, expetitum
Ne jubar fixis radijs abesset,
Cujus obscuræ nitor atra nubis
Vela fugaret.

Ecce prælustris face luminosâ
Blanditer fulget tibi viva Lampas,
Stinguier Lethes metuens ab undis,
Docte Giphani:
Lampas

Lampas, Auroræ similis rubenti,
Vt serenati referans Olympi
Limen, Eoos micat ante Solis
Pulchra jugales.
Illa nimirum thalamis pudicis
Defuit, quatúte carens, carere &
Nos coëgisti tot Ageilianis
Noctibus annos.
Lucubra cum Luce tua Giphani;
Roscidum liba mel, apicularum
Rore tam præstans mage, quàm liquenti
Sacchara mulso.
Hanc dehinc Zonas cupidè solutam,
Carceris longi forulis reclusis,
Ire cernemus gravidæ solutum
Vincula cistæ.
Protinus nuptæq; tibique lætum
Hunc favens Lucina diem videndi
Copiam, nobisq; tuis, precamur
Ritè ministret.
Vnico partu simul Atticarum
Noctium dici pater atque prolis
Masculæ condignus (io!) meritis,
Non sine plausu.

AD IOAN. LAVTERBACHIVM P. L.

SVaviam tuam suavissimam,
Suaviam tuam dulcissimam,
Suaviam tuam castissimam
Pro salute nunciata

Suaviarer uno ſuavio,
Oſcularer obvio oſculo,
Baſiarem amico baſio;
Mos ſediſta, lex ſediſta
Improbat vetatque: nec licent
Quæ libent. nec hercle tu ſinis;
Quin nec ipſa, ut id ſinas, ſinit.
Muſa factitet neceſſe eſt.
Si negabis hoc Muſæ meæ,
Si negabit hoc & Suavia;
Quod negas, & uxor quod negat,
Ipſe factites oportet.
Ergo quo poëta ſuavior
Et poëta IANE es dulcior
Caſtiorque; eo tu ſuavÿs
Oſculisque baſijsque
Suaviare ſuavioribus,
Oſculare dulcioribus,
Baſiaque caſtioribus
Pro ſalute nuntiata
Suaviam tuam caſtiſſimam,
Suaviam tuam dulciſſimam,
Suaviam tuam ſuaviſſimam.

IN NATALEM ROSINÆ C. F.

VIrgo, quæ florum ſtudioſa, cultis
Præſides hortis, decus herbularum,
Sive tu Chloris, dea, ſive gaudes
Flora vocari:
Candidæ natalis adeſt ROSINÆ;
Fac tuæ

Fac tuæ pulchris manibus Napææ
Mille jam nectant maris ex virenti
Rore coronas.
Najades castæ, Dryadumque vernans
Turba, cum Nymphis aderunt pudicis;
Gratiæ & Musæ quoque, Oreadesque &
Pura Diana.
Sparge pulsandam pedibus dearum
Mollibus terram violis rosisque;
Alba Iunoni folijs tenellis
Sparge liguſtra.
Dum choros ducent mea cura divæ,
Præcinens Clio, præiensque Pallas
Ritè festivo nova temperabunt
Gaudia plausu.
Phœbus aurato residebit arcu,
Personans leni citharæ: ROSINAM
Myrtus incinget, mihi digna crines
Laurus obibit.
Hæc dies solennis erit: quotannis
Hanc diem, & te Flora, meamq; Nympham
Annuo nostræ celebrare pergent
Carmine Musæ.

AD PETRVM BEVTERICHVM I. C.

Non semper atris mens pia succidit
Rerum procellis quassa labantium;
Nec semper assurgit minace
Impius indomitus lacerto;
Procera qualis fraxinus arduis

In saltuoso Pinifero Comis.
Sævos inexpugnata ridet
Turbine i Boreæ reflatus;
Donec trisulci fulminis igneo
Dejecta telo, triste superbiæ
Crimen piatura arbor, Euris
Ludibrium Zephyrisq; debet.
Cœlo Tonantem vidimus arbitras
Æquis bilances funiculis, parem
Vtrinque protentis ad unguem,
Pendere. tum bona tum maligna
Dijudicatis conditionibus
Vindex diremit. Stat sua reprobis
Solvenda justo pœna fato:
Stat sua danda piæ cohorti
Merces. vides, ut quum levat aut premit
Vertentis anceps curriculi rota,
Non fortuitó quidquid hoc est
Accidat, absque Dei statera!
Te turbulentæ militiæ rigor
Non auspicatis, Petre, furoribus
Bis (væ Camœnis) implicatum
Sanguinea nece territarat:
Bis vita Musis est data fœnori,
Nutu IEHOVÆ. *jamque (quod o bonum*
Felixque sit) te Vita dote
Altera, dijs similem, beavit.
Prædæ su pellex heu tua cesserat;
Quom per cruento Marte duellica
Passim recrudescens Erinnys

Gallica

Gallica conſceleraret arva:
Loco librorum nunc tibi liberos
Hæc procreabit Iana, ſimillimi
Fœcunda partus, mutuique
Fœdera perpetuans amoris;
Queis cuncta reddet ſartaque tectaque.
Ex hoſte ductis non ſpolijs eges
Prædisve, nuptæ prædiorum
Beuteriche eximié locuples.
Tanquam paratus ſine brevi mori,
Partis memento Petre bonis frui:
Tanquam perennaturus ultra
Parcito divitijs viciſſim.
Prudentis hic eſt vir ſapientiæ,
Conſiderato qui duplici modo
Illiberalis vitat eſſe
Plus nimio, nimiumve largus.

DIALOGVS

P. MELISSI ET N. CLEMENTIS Trelæi.

CLemens, dulcis ocelle Gratiarum,
Quas digné tibi pro lepóre plenis
RONSARDI *celeberrimi libellis*
Me perſolvere gratias decebit?
C. *Sat puto mihi gratiæ rependi,*
O mellite Meliſſe, mel ſororum,
Acceptare quòd annuis venuſtos
RONSARDI *lepidiſſimi libellos.*

M. Absurdum velut ac parùm decorum est
Donum respuere elegans poëtæ;
Sic præter meritum sit indecens que
Valdé, non aliquid referre gratum.
C. Quid majus meliusve flagitarem?
Dum tu me teneris beas Phalæcis,
Vincis munificentiore dextra.
Quæ das, sunt tua; quæ ipse, sunt alijus.
M. Si tanti modulos facis tenellos,
Tot poscam nitidum pedes Catullum,
Is quot basia Lesbiam poposcit;
Ronsardi numero modos ut æquem.
C. Cur poscis modulos Catullianos?
Vitam si traheret Catullus ipse,
Mallet hercle pedes Melissianos;
Par Gallo numeris ut esset illi.
M. Meæ spiritus est levis Thaleiæ,
Nec vis sat gravis ipsi inest Catullo.
Heus! an non ab olore Gallicano
Iunctis versibus ambo vinceremur?
C. Versu laus sua cuique digna cedat:
Tu sis Teutonicæ lyræ repertor,
Ronsardus pater esto Gallicanæ,
Argutus Latiæ Catullus auctor.
M. Redux sit Maro, sit redux Homerus;
Dircæusque & Horatius resurgant:
Primas Vindocino (reor) poëtæ
Sedes quatuor unico resignent.
C. Gallus, deliciæ meæ, poëta
Phœbum, Castalidesque, Pallademque

Gestat

Geſtat pectore, dextera, cerébro.
Gallo deneget ecquis ergo palmam?
M. *Laudum muneribus ſed & ſecundæ*
Partes, non ſine tertijs, fruuntor;
Et quisquis celebri vetuſtiorum
Choro proximus æmulatur ire
C. *Sic & pluribus eſt locus poëtis:*
Nam nec caſtra novem facit ſororum
Miles lauriger unus; & corollis
Decerptis, revireſcit ipſa laurus.
M. *Sanè tu quoque, Nicolaë, vatum*
Haud poſtremus eris probatiorum;
Seri quom tua legerint nepotes
Celtico metra cantitata rhythmo.
C. *O ſi, quod pede Gallico ſuſurro,*
Annos Vindocinæ tubæ; vel ævum
Exæquet Schediæ lyræ, quod olim
Latina fide canto: quàm beabor!
M. *Interim tibi, candidate Clemens,*
Cingo laureola caput virenti:
Tam condigna tuis ſit hæc capillis,
Quàm tu carus Apollini deïsque.
C. *Quòd me (evax) cumulas honore tali,*
Decus laurigeri chori Meliſſe;
Tanto gratior hæc mihi corona eſt,
Quanto tu prior omnibus poëtis.

AD IOAN. IACOBVM BOISSARTVM Veſontinum.

ANtiquitates, quas per ampla Romuli
In urbe miramur, tua

Boissarte pridem dextera, haud grauiſine
Labore pictas, tam diu
Latére priuis ecquid ab inſcriniis;
Ecquid tot annis obſitas
Senére perfers? ede tandem, amabo te,
Et has tuos que Cæſares,
Spirante factos e metallo vividos.
Prodeſſe nati, plurimis
Proſimus; haud amiculis ſolummodò.
Non Imperator hic recens
(Vt liberalis eſt) vetuſtis ceſſerit
Penſans labores Regibus.
Auro coronet ille, juſtis præmijs,
Tuam remunerans manum:
Lauro decoras ipſe (namque hac dignus es)
Tibi renodabo comas.
Addam corymbos myrteasque bacculas;
Auctorque poſteris ero,
Laudes ut æternante verſus hos tuo.
Sculpant honori in marmore.

VATIQVE PICTORIQVE SOLERTISSIMO,
MVSIS AMICO ET GRATIIS,
PERENNE BOISSARTO SVPERSTITI,
DATVM
VIX QVALE CONSTAT MORTVIS,
MERCEDIS ERGO COLLOCANDVM
MARMOR HOC
ÆTERNA FAMA CENSVIT.

AD IOA-

AD IOACHIMVM CAMERARIVM Pabepergenſem.

Laudibus merces alij Sabæas
Aut Erythræos celebrent lapillos,
Quicquid & mittunt pretioſioris
Seres & Indi.
Hi Phrygum mirentur opes, at illis
Aureæ mentes hilarent arenæ,
Quas Tagus Gangesve ſuo beati
Flumine volvunt.
Scilicet cordi mihi ſunt eruntque,
Quamdiu terris mea vita duret,
Rara theſauri monumenta Græci,
Gaza perennis.
Bis, ter o lucem Ioachime fauſtam,
Tale qua primùm Stephani Minerva
Mente complexum dare cogitavit
Provida donum!
At diem multo cano fauſtiorem,
Quo cothurnatis dedit ecce magnas
Has opes. Muſis Academiarum
Vsque fruendas.
Illius (ſeu lux foret orta, ſeu nox)
Queiſlibet prodeſſe ſimul ſtudentis
Nec manus nec mens opera, nec ullo
Victa labore eſt:
Donec indagata modò heic, modò illic,
Mille Grajorum loca pervagando,
Quæque luſtrarit radio ſagaci
Florida Tempe.

Vnde selectos ad amussis unguem
Surculos, stirpesque feraciores,
Et seri plantas dociles, ad istos
Transtulit usus.
Ceu vigil gnavis operatus agris,
Arborum nata serie, colonus
Educaturas bona ponit almas
Cretica vites;
Aut Aristæos veluti per hortos
Chloris, herbarum studiosa cultrix,
Areis parcit nisi fructuosum
Condere semen.
Sic nec heic lappæ tribulive surgunt;
Non filix aut ruscus iners & aspri
Pullulant vepres, sterilis nec usquam
Regnat avena.
Cardui runcata seges. videre est
Heic nihil senti, lolio resecto:
Vlla nec caulem scit originemve
Barbara radix:
Si qua laus tetra caruisse labe;
Si decus nullis scatuisse mendis,
Tute quod cernens, Ioachime, nosti
Millibus longé melius trecentis,
Atticé doctis simul & Latiné,
Arte magistra.
Ecquis ah, tantas quibus autor hasce
Consecrat gazas, minus esse gratus
Certet? ut par est, sua non negentur
Præmia doctis.

AD SE-

Qualium libros propæ constat omnes
Esse refertos.

AD SEBASTIANVM SCHEFferum.

Quamdiu tuam
Oviculam
Scheffére deseres
Expositam rabidis luporum
Dentibus? velut
Ocelluli
Pupilla lucida
Tegmine protegitur reducto:
Non secus tibi
Carissimam
(Ni forsan oderis)
Debueras manibus tueri
Pastor impigris.
Sed hanc puto
Curæ parentium,
Dum redeas, bene credidisti.
Quin recurre, quin
Retro vola,
Et cum misellula
Turturis instar agente vitam
Solitariam,
Ingratijs
Osorum & hostium
Lætus ini thalamum jugalem.
Namque te suum
ESTER *manet*
Pudica comparem,

Sub tilia

Subtiliæ viridante ramo:
Quá canens, pijs
Musis sacer,
Strasburgus invidas
Carmine sistit aquas Elystri.
Det tibi Deüs,
Quod expetis:
Idemque det tuæ,
Ipsa quod ante alias meretur
Virgines. satis
In exteris
Moratus es locis:
I, patriam pede vise fausto.

STEPHANO NEVDORFERO NORIbergensi Iurisc. Cameræ Spirensis advocato.

SI quis pudicam conjugem vir nactus est
Et dote casta divitem;
Huic margaritas & lapillos Indicos,
Rubrique baccas æquoris
Præferre nolim, nec Midæ magnas opes,
Gazasve Crœsi Lydias.
Talis benigné dexteri solo Dei
Donatur uxor munere
Deüm verenti. quippe casus haud eam,
Nec fortuita sors dabit.
Certé supremus omnium multa viro
Orandus est pater prece,
Quicunque fidam vult apisci conjugem,

Pudore

Pudore casto præditam.
O te beatum ter quaterque & amplius
Stephane, sacratarum decus
Legum; pudico quem Beatrix pectore,
Fidelis & decens tori
Consors, amoris æstuantem mutuo
Flagrans maritum diligit
Igni; nec (unum præter) ullos discupit
Lusus Dionæ noscere.
Ætatis hæc in flore, vitis in modum
Plenis racemis turgidæ,
Fœcunda similem compari prolem suo
Progignat, aucta fœtibus.
Qualis in auras hortus educit ferax
Novos olivæ termites;
Mensam coronent pulchra lecti pignora,
Mater decore ornet domum.
Lis sæva, turpis ira, & acre jurgium
Procul fugata hinc exulent.
Pax mitis, æqua mens, soror Concordia
Regnent timore liberæ;
Timore vano, qui siniſtri vel mali
Quid suspicetur perperam.
Auras Cytheris entheas afflet, meros
Spirent amores Gratiæ.
Adversitatum si tamen quid obstrepat,
Quas fert procellosus Notus
Aliusve rigidis Eurus; has lenes statim
Remolliant Favonij.
Tranquilliore sic amantes Cypriam

Sistatis

Sistatis in portu ratem.

IN MALLIVM.

INclyti fama celebri poëtæ,
Ipse quos sacris operans Camœnis
Sedulo primis colui (colamque
Semper) ab annis;
Sive vos solers genuit Quiritum,
Sive Gallorum, vel Iberus æther,
Teutonum seu vos liquidas in auras
Terra creavit:
Quisque tercentum mihi nunc Iambis
Lividis adsit, quibus immolando
Mallius collo juguletur atris
Hostia Diris;
Mallius Phœbi pudor, & dearum
Pestis, & vatum capitalis hostis;
Omnium quis cripta nec æstimavit
Vnius assis.
Candidos posthac canis iste vates
Ausit indigno lacerare morsu?
Iactet in quosvis rabidum poëtas
Vsque furorem?
Quamdiu virus tolerare vultis?
Tanta proh quorsum probra sustinetis?
Hocne sic impune ferat, solutus
Vindice pœna?
Quin Lycambéis jecur usque adimum
Saucium telis agitate monstrum

Tale,

Tale, portentumq; hominis, per ignes,
Per maris undas.
Nec vagabundo requies, nec ullus
Sit locus, tutis ubi degat antris:
Quin & angustus sit & arctus illi
Totus hic orbis:
Nec mori possit miser, ipse quamvis
Prodigus vitæ, cupidusque mortis,
Afferat tinctam sibimet profuso
Sanguine dextram.

AD PETRVM RONSARDVM EQ. Vindocinum.

NOn Galla tantùm, scita gravis soni;
Te patriorum littora fluminum,
RONSARDE, claræ personantem
Pectinibus citharæ stupescunt:
MÆNVS refusis Franconicus vadis,
Me musico, odas cornibus ad tuas
Solerter elatis serenam
Attonita bibit aure vocem.
Ipsos videres Tubaron & Salam
Mænigemellos, hunc pede dextero,
Illum siniſtro, vitrearum
Sistere curriculum sororum:
Sic ad sonores Ismariæ fidis
Hebrum reflexis amne ferunt aquis
Stetisse, miratosque voces
Strymona Threiciumq; Nestum
Symphoniarum. Quàm fuerant priùs

Nymphæ

Nymphæ poëtas indigenæ sacros
Et Celtin Huttenumque, & ipsum
Lotichium quoque prosequutæ
Philtris amantes; tam philotesijs
Te demereri dulcibus extera
Quamvis in ora procreatum,
Francigenam tamen, usque quærunt:
Matuta pulchro seu rubra Phosphoro,
Seu Vesperugo Solis equis comes,
Lucem diebus, noctibusve
Invehat umbriferas tenebras.
Tuum cavarum margine vallium,
Et frondeorum vertice collium
Nomen susurrantes, adurunt
Tura tibi, tibi vota solvunt.
Te præter omnes, inclyte, principem
Solum poëtarum indigitant: ad hæc
Patrem Camœnarum fatentur;
Stirpis & Hectoreæ patronum
Gaudens salutat FRANCIA *nobilis,*
Secura clausis Hercynij jugi
Sylvis: honorem saltuosus
Pinifer ingeminat triumphi.
Quid multa? cantor Franca per oppida
Oblivionem carminibus tuis
Defendo, Germanos docere
Callidus insolitum canorem.
Non usitatis dum ferimur vijs,
Prisci sequentum tramitis orbitas,
Vestigiorum me recentum

Indicijs

Indicÿs juvat immorari.
Tecum perennis jam genÿ, Petre,
Pleno, futurum eſt, plenus ut ipſemet
Fortaſſis æternem per ævum
Teutonicam fidicen Camœnam.

AD RHENVM FL. GERMANIÆ.

RHENE, Nympharum pater, amniumque
Rex, quot Almanis dominantur oris;
Sic ſuas Manus tibi, ſic Moſella
Miſceat undas:
Pone turgentes age pone fluctus;
Mitte conceptas violenter iras
Meque vectoresque bonos faſello
Devehe ſalvo.
Ipſe fœcundis gravidos racemis
Palmites, frugesque novas, & hortos
Fructibus fœtos, nemorumq; ſylvas
Carmine dicam:
Splendidas urbes quoque cum beatis
Villulis, arcesq; jugis in altis,
Et juga & valles, ſcatebrasq; vivo
Fonte fluentes.
Audiat voces melici Meliſſi
Colloquens antro genitiva diva:
Aura tangendas reſono ſonore
Verberet aures.
Hinc Palatinos proceres ducesque
Lesbÿs pandet fidibus Thaleia,

Francica regum fuerint ut olim
Stirpe creati.
Te sed in primis cano, Rhene felix,
Quemque, curarum gravium levamen,
Educas ripa laticem Lyæum
Dives utrâque.
Bacchus hos montes amat, hosce colles;
Bacchus has valles colit, has ce ripas;
Bacchus heic ARAM *sibi consecravit*
Perpete ritu.
Hic liquor versus subicit poëtis,
Musicis cantus. Cereris valete
Cocta. tu vatis memor i perenni
Rhene meatu.

AD NATHANEM CHYTRÆVM Mencingium.

Melle & nectare dulcioribus
Respondi Melissi literis.
Hæc ipsissima verba tunc erant
Cari fratris ad quendam tui,
Mi Chytræe, Lemanici lacus
Quom forem propinquus accola;
Heic vbi Rhodanus Valesijs
Lymphas congregans e vallibus
Restagnante celerrimus ruit
Vado, sed cupitis me frui
Responsis hodierna adhuc vetat
Hora, felle longé amarior;
Hora,

Hora, alumine multo acerbior;
Hora, bile virulentior.
Ergo tutemet entheïs sacrum
Nathan dotibus cor incitus,
Aut frater tuus ille grandior,
Qui roseta carpitis mera
Cultos Varniadum per hortulos;
Aut ambo simul rependite
Vices, aut potius remittite
Exemplum papyri perditæ:
Dum me Neccaricis Sionios
Hymnos accinentem ripulis
Myrtilletus amœna detinet
Palatina propter culmina.
Ni fiat, mihi creditote, quæ
Mel & nectar esse remini,
Vobis tam citò dulcitudinem
Amissura, desituraque
Alvearia sive Hymettios
Favos, seu placentas Atticas;
Seu thymum redolere; quàm citò
Versum iri, Chytræe, inaudies
Ob desideriorum anhelitus
Et suspiriûm frequentiam
Liquescentem animam ipsius meam
In salsas amaritudines.

IN CALENDAS NOVEMBREIS.

AVspicio novem sororum
Notitiam mihi November

Pallados Vtenhovïque
Concilias. ſacræ Meliſſo
Semper erunt tuæ Calendæ,
Quas memorent novem Camœnæ,
Pro meritis tibi voventes
Carmina ſyllabis novenis,
Carmina verſibus novenis.

I. CLIO.

NAtæ celebrare Iehovam
Reges que duces que Camœnæ,
Citharis adſtate lyriſque;
Fas pangere menſe Novembri
Laudis nova carmina thyrſo
Animis omni ſine fuco.
His Carolus ille Calendis,
Simul his innotuit illa
Pallantia nympha Meliſſo.

II. EVTERPE.

VOluptabilis eſt bonorum
Et jucunda beatitudo,
Quos junxit probitas fides que.
Hac nil dulcius eſt in urbe,
Hac nil ſuavius eſt in agro,
Hac nil pulcrius eſt utrinque.
Manſueſcunt homines in urbe,
Miteſcunt homines in agro,
Lenit pax & agros & urbes.

III. THA-

III. THALEIA.

Virens Libani velut cedrus
Cacumine læta frondeo
Perennè comis regerminat:
Pari cor amiculis modo
Vigens, animusque pertinax
Marcescere, floret integer.
Cedrum rigat ille ros tener
Adoreüs; at cor uvidus
Rigat Clariæ latex aquæ.

IIII. MELPOMENE.

Cantibus & numeris meris
Personat unanimis chorus;
Lacte natant labra melleo:
Candidulis per Olympium
Aethera vectus ovans cygnis
Grex melos usque reclangitat.
Nil nisi carmina montibus,
Nil nisi cantica vallibus
Blandisono reboant modo.

V. TERPSICHORE.

Gracileis agitare manus,
Agileis glomerare pedes
Iterabitis innocui:
Niveüs Iocus ipse micat,
Roscüs Pudor ipse salit,
Micat & salit Euphrosyne.

Agitur bene cum socijs,
Vbi mens sine fraude patet,
Sine crimine simplicitas.

VI. ERATO.

AMor, sincerus amor veré;
Fides, sincera fides stricto
Liget vestras animas nodo.
Favillæ mutuus accensæ
Calor vos urat, & æternùm
Manens incordiet æqualeis.
Columbos Vtenovi vincis,
Palumbes Pallas amando, sed
Melissus turturibus par est.

VII. POLYMNIA.

CLarus insigneis nitet inter
Carolus vates, nitet inter
Clara laudatas dea Nymphas.
Clarior fiet meüs ex se
Carolus; dicente Melisso
Clarior Pallantia fiet.
Elaboratum dare marmor
Posteri noviſtis eburve;
Musa donabit memor ævum.

VIII. VRANIE.

ALbe qui polo micas Olor,
Candidos amicos aureis
Celsa plumulis ad astra fer:
Heic vbi canora Thracij

Chordu-

Chordulis sonantibus lyra
Vatis orbe lacteo subest.
Quid moraris? astra vatibus
Digna sunt, & astris dignus est
Cœtus inclytorum pectorum.

IX. CALLIOPE.

PRomere voce bona laudes,
Voce bona doctos canere
Novi perstrepitante fide.
Quó te proripis Vtenhovi,
Sidera tam citò contingens?
Quó tua proripitur Pallas?
Nescius adspergi maculis
Nempe quit ingenuus CANDOR
Cœli promeruisse domos.

PARODIA.

COlonus ille, quem videtis incolæ,
Ait fuisse miles impigerrimus,
Neque ullius volantis impetum globi
Nequisse sustinere; sive in humido
Opus foret coire, sive in arido.
Et hoc negat triumphum agentis Adriæ
Negare littus, extimosve Cyprios,
Hetruriamve, & inclytam Neapolim,
Liburniam, sinumve Cretici maris:
Vbi iste, post colonus, agminis fuit
Tribunus antè. nam cohorte in hostium

Canente

Canente mille vulnera edidit tuba.
Ibere ductor, & Columna lauriger,
Tibi hæc fuisse & esse cognitissima
Ait colonus. horrida crepidine
Tuos stetisse dicit inter ordines,
Rubro imbuisse vasta sanguine æquora:
Et inde tot per expatrata prœlia
Manum tulisse, lævasive dextera
Vocaret ala, sive utrumq; Thrax ferox
Simul phalangas impulisset ad latus.
Neque ulla vota Martialibus deïs
Sibi esse facta, quom rediret a mari
Lepanthico hunc ad usque Francicum Salim.
Sed hæc priùs fuere: nunc colit juga,
Serit novale, seque dedicat tibi
Amice Liber, atq; amica Liberi.

AD IOHAN. HORTINVM.

Hortine pulchri consitor horturi,
Thalassiorum flos juvenilium;
Quasnam corollas nuptiales,
Quæ tibi serta parat capillos
Vinctura, cordis fibra tui trahax
Iahel, puellarum eximium decus?
Ecquem geremus fronte ramum
Participes nemoris sodales?
Baccata sylvæ filia Cypriæ
Castis honori est myrtus amantibus:
Myrtum Dionæis Cupido
Conjugibus sacrat osculandam.

Exoticorum

Exoticorum vos vice termitum
Herbas fragrantes nectite virgines.
Vernis amictum me sub antris
Tempora rore velim marino
Aut Nerviorum stella Masurius,
Aut Buchananus lux Scotiæ queat
Spectare, Veronæq; ocellus
Scaligero patre procreatus.
Succincta suras, nuda sinum, dea
Subter beatis Arabiæ jugis
Acclivis illibata quondam
Thura legens Libanotis ibat.
Manabat udo ros pede vitreüs:
Salubris afflans aura Favonij
Mulcebat herbarum comantum
Summa, levi tremefacta caule.
Hanc irretorto lumine Capripes
Vix conspicatus, fervidior calet
Flammis inardescentis Aetnæ;
Fervidiorq; focis Cyclopum.
Prendenda Nymphe diffugit ocyor
Euro: citatis insequitur furens
Plantis petitor: seminati
Glutit humus pia grana thuris.
Enata post hinc est fruticis seges,
Puris virentis semper odoribus,
Seu bruma sive æstas recurrat;
Virgineamque notam tenentis.
Salve perenni germine prænitens
Radix, vigescentum æmula frondium

Lauri: ter o salve quaterque,
Suavior arboribus Cytheres.
En hortulorum te Cevalerias
Cultrix amœnis inseret areïs,
E semigermanis Britannis
Advada glauca redux Lemanni.
Non te nives, non horrificum gelu
Lædet, nec acer trisibus Africus
Immane dum stridet procellis,
Nec grave flamen Apeliotæ.
Nec supplicabis, quom sities, Iovi,
Torrente prati gramina Sirio:
Quippe est suapte sponte Iuno
Irriguum pluitura nimbum.
Protuberatis mille decentiùs
Gemmante prægnans cortice surculis
Vestibit apricos, nec absque
Delicijs, tua virga campos:
Seró creatus unde nepotibus
Vtroque longum sospite, gestiant
Hortinus & formosa Iahel
Texere perpetuas coronas.

AD MINERVAM.

INgeniosissima cœlitum dearum,
E cerebro nata Iovis, parens loquelæ
Cecropiæ, virgo pudica, virginumque
Flos, & honorata oleagini repertrix
Termitis; o, sive Minerva, sive Pallas

Dædala

Dædala amas, seu Polymetis, invocari;
Præses item sedula lucubrationum,
Cui quoque tutela dicata noctuarum:
Quas tibi nunc fundo gemens, benigniorem
Tangitor aurem querimonijs amaris.
Castalium Scaligeri tui meique
Hospitium (quo tibi consecrata sedes
Regia, Pandionijs ut olim in aris)
Quercera febris, febris occupavit horrens,
Bestia semalgida & inde semicalda;
Quæ misero discrucians herum dolore
Concutit excarnificatq; maceratq;
Omnium opis subsidiariæ carentem
Bellipotens, armigeri magistra Martis,
Atque eadem Pieriæ patrona gentis:
Aegida quin terribilem, caput Medusæ
Anguineis implicitum comis gerentem
Corripis; hastamq; vibratilem coruscans
Mittis in os dirum alicariæ voracis;
Deq; tua præcipitem datam cathedra,
Supplicioque (ut merita est) atroce mactam
Trudis ad undas Erebi voraginosas;
Aut scopulis Caucaseis redalligatam
Vindice constringere sustines catena?
Vt, Dea, seu vulnere læsa prœliari,
Sive cicatrice cruenta saucieris,
Mater ut Anchisiadæ Cupidinisque,
Sive (quod absit procul omen, absit) omnis
Alue prorsum interimare pestilenti:
Te medicaturus in integrum paternis

Restituet

Reſtituet Scaliger herbulis, ut alter
Phillyrides aut Epidaurius; vel ipſa
Scilicet ex morte lubens reſuſcitabit;
Vel (modò febris labefacta perdometur)
Aegiſonam conſimilem ſuapte credo
Indole progignere erit potis Minervam.

IN GERMANORVM BACCHANALIA Scazon.

SAltationes, tripudiaq́, choreaq́,
Inſanientum quas furore bacchantum
Satan in orbem malè choragus invexit,
Ac diſſolutis moribus dedit mentes:
Deteſtor execror q́ vos ad extremum.
Valete; abite in rem malam. Lemannus me
Tuta locatum in parte nunc ſui regni,
Nymphaq́ Rhodani prodigos voluptatum
Luxus peroſæ, continent ſinu caſto,
Iuxtaq́ Chriſti vivere edocent normam;
Nec limitatam tranſilire fas metam.
Quin & prius quàm conſpicarer hæc regna,
Aut me Lemannus civitate donaſſet,
Lubens q́ ſubmiſiſſet his gubernaclis;
Perſæpe vobis mille fervidus Diras
(Hoc novit Iſter, novit Albis, & Rhenus,
Rhenique frater Manus) imprecatus ſum.
Vos ſæpe Ditiq́ inferis q́ devovi
Faces amoris & libidinis fœdæ,
Veneris pediſequas, illices q́ furtorum
Gyros, originemq́ turpium rerum.

Quid?

Quid? Orgiorum non fuere nocturnis
Oestris Lyæi concitæ diurnisq;
Stimulationes his pares? negatote.
Hem! nonne similes & fuere Curetes,
Tumultuosis tympanis Cybellé iis
Tinnitibusq; pruriens cohors æris?
Per me licebit, ebrio madefacti
Caput falerno, quiq; semper indulgent
Cursu furoris, hos ament, sequantur ve
Quò cæca mens fert, impetusq; lymphati
Rapit cerebri, quod nec est suæ spontis
Nec iuris: ultro donec in Stygis præceps
Ruant barátrum. Buccinæ, tubarumq;
Et tibiarum fistulæ, & lyræ dulces,
Testudinesq; barbitiq; nil, nil vos
Peccatis, instrumenta inanima, ad hos usus
Quæsita; sed quicunq; vel levi palma
Chordas movendo, spiritum vel inflando
Hiante lingua, vos sonis repercussis
Solerter animant. Tollite, o magistratus,
Ex urbe quisque tollite hinc sua tales
Bacchationes, tamq; barbarum morem.
Seu publicé saltare, sive privatim,
Nil commodi bonive, nil honestatis
Præstat. reclamando furenter ad ravim,
Nulla potestis hæc tuerier lege.
Identidem pol dixero, quod heic dixi:
Seu publicé saltare, sive privatim
Nec Christianum, nec pium modestumve est.
Nil amplius post exprobrent, neq; incilent

Hi Cho-

Hi Choliambi. sic habete, quod sensi,
Stultæ choreæ, tripudia atq; saltura.

IN PINAM IAMBVS.

EHo, quis iste est, qui tot alto in pileo
Gestare cristas discoloribus solet
Plumis, catena colla vinctus aurea?
Qui follium instar utriumve turgidum
Suffarcinatus sericis genualibus,
Modò hac modò illac cursitans, nunc dextero
Nunc & sinistro sic quatit terram pede;
Vt subsidére quasi tremereq; appareat?
Est Pina, cyclops ille, solus omnium
Quotquot fuere, suntve, quotve post erunt,
Cinædus impurissimus; qui nec mares
Ipsos, nec esse fœminas sinit probas;
A quo pudica est nulla fermè virginum:
Furore mentis efferæ qui percitus
Contentiones, jurgia & turbas movet,
Graves q; passim seminat discordias,
Nefandus autor omnium tumultuum.
Adhæc sibi licere quidvis autumat,
Quum stirpe genitum nobili se iactitet:
Virtutis insit cum quidem nec unica.
Scintilla, doctrinæve tantùm guttula.
Quin helluator oh vorax, multis modis
Abusus almis optimi donis DEI,
Ingurgitas te copia tanta meri;
Vt quo repleris vesperi ventrem óbrutum,

Hoc

Hoc ebrioſus manè ructans eggeras:
Quondam moloſſus ceu vomit coriarij
Fruſtis comeſis ſordidarum pellium.
Hic nempe mos eſt aulicus: ſic vivitur;
Sic bibitur, inquam: ſic honeſtati ſtudent.
Nam quisquis aut veretur aut ſubterfugit
Inebriari, pernegant virum bonum
Eſſe aut honeſtum; ſobriosque dictitant
Aut perpetraſſe aut perpetraturos neſas.
Integritatem cordis hauſtibus probant,
Cor donec & mens, integra haud ſint amplius.
Tum pejerando ſæpe contumelijs
Summi Tonantis afficit natum ſcelus,
Convitiorum mole dura prægravans.
Cruci ſacratæ & vulneri quino male-
Dicit; profanat templa; ſacra polluit,
Ipſummet auſus criminarier Deüm:
Mentitur & furatur audaciſſimè:
Boni quod usquam eſt, temnit irriſor malus:
Omnes bonos calumniatur peſſimè;
Viris nec obtrectare doctis hunc pudet:
Sed hoc ferendum; ni parentum manibus
Protervus inſultaret, & ni Cæſarum,
Regum, ducumq; principumq; gloriæ
Ore inquinatiore labem adſpergeret.
Quid multa? vitijs eſt tot immerſus, tot heu
Flagitia criminaq; ſceleraque in ſe uno habet;
Magnis quot ingens belluis Pontus ſcatet.
O peſtis, o lues equeſtris ordinis!
Indigne, quem Lucina in auras miſerit;

Indigne,

Indigne, terram qui ſacro premas pede;
Indigne, cui Sol præbeat vitæ diem:
At digne, quem turpes Iberûm mentagræ
Contagioque putridorum vermium,
Semperq; lepra vexet incurabilis:
Tum deſit ignis, & tibi deſint aquæ.

INVICTA

INVICTAE FORTITVDINI VLRICI HVTTENI EQ. AVRATI S.

IRASCANTVR AMICI,
INDIGNENTVR ET HOSTES;
SVCCENSEANT PATRONI,
AEGRE FERANT CLIENTES;
MALI FRENDEANT,
ET BONI FREMANT;
ET CODRO QVAMVIS ILIA RVPTA CREPENT:
INVITIS TAMEN OMNIBVS,
RECLAMANTIBVS VNIVERSIS,
RVPTIS INVIDIA DENIQVE SINGVLIS,
CVM BONIS TVM MALIS;
TAM CLIENTIBVS
QVAM PATRONIS;
PARITER AMICIS,
PARITER ET HOSTIBVS,
PRAECIPVE CODRO:
HOC HVTTENE TIBI
FRANCVS FRANCIGENAE,
POETA POETAE,
IVVENIS TYRO
SENI VETERANO
(VELIS, NOLIS)
AD AMOENI PATRIA MAENI (CIPPO
FLVMINA, QVA VIRIDIS PYRGI STANT MOENIA,
ERECTO PROPTER VINETA SVB ILICE,
MARMOREIS SAXIS STATVENS SVBLIME TRO-
MONVMENTA PERENNIA PONO (PHAEVM
MELISSVS.

MELISSI

EPIGRAMMA SVBSCRIPTVM MARMORI EPITAPHIO MAVRICII HVTTENI EPISCOPI AICHSTETENSIS, IN TEMPLO summo VVirzepurgi.

ADspicis, hvmanae brevis vt sit linea vitae,
vt dvbias verset mors inopina vices:
fata manent qvemvis, hvmili sev stirpe parentvm;
sive sit a magnis nobilis ortvs avis.
grandia nec prosvnt vel pondera divitis avri;
lecta vel in rvbro gemmea gaza mari.
omne relinqvendvm est, cvm venerit horvla mortis;
svave privs qvidqvid vel tibi dvlce fvit:
talia peccati labes ab origine prima,
noxivs haec mervit praemia lapsvs adae.
at bene qvi vixit moritvr bene; dignvs olympo:
sanguinis et qvanqvam corpvs inane iacet,
vis tamen havd animae cvm corporis interit vmbra;
vita sed hvic christvs, mors erit ipsa lvcrvm.
vive memor lethi, qvisqvis coelestia cvras;
sic lethi victor gavdia laeta feres.

P. ME-

P. MELISSI

EARINA.

IO. EGOLPHO CNOERINGO EPISCOPO AVGVSTANO Hendecasyllabos suos dedicat MELISSVS.

NON mihi sunt arces, non pagi, prædia, sylvæ;
Nec mihi centeno jugere sudat equus:
Cõmoda semideũm sunt hæc possessa virorũ,
Francia queis partas utraq; servat opes.
Parnasi mihi templa sacer patefecit Apollo,
Perfruor & Charitum Pieridumq; choris.
Dant latices Nymphæ, Dryas Hyblam, serta Napææ:
Quæ licet heic apibus pervolitare meis;
Vnde mel Ausonijs libãt, mel amabile Gallis:
Alveolis tegimen tu modò lene dato.
Gratia si tua se præbebit Egolphe Patronam,
En tibi gratus apum rex erit usque Cliens.

MELISSI EPIGRAMMA NATVM MENSE IVLIO, ANNO CHRISTI CIↃ IↃ LXVII.

AD IOAN. EGOLPHVM CNOERINgum Eq. *Suevum, musarum Mæcenatem.*

Enimus Artaunum Mæni flaventis ad undas;
Vrbs tamen inventum te dare Frãca nequit.
Venimus Augustam; nec ibi es Cnœringe repertus.
Venimus in thermas; hinc quoque lentus abes.
Iãq; ego digrediar Gallas longinquus in oras;
Nec potero præsens ora videre tua?
Non potero. comites urgent, properantq; caballi.
O diu, ubicunq; es, summe Patrone vale.
Haud me conspicies posthac, nisi Præsul in urbe
Francidos, aut Sueva Præsul in urbe fuas.
Pignore te redimes, si nõ ero vanus haruspex:
Si mendax; animi collige vota mei.

PAVLI

PAVLI MELISSI SCHEDII FRANCI, POETAE LAVREATI,

Earina.

AD AVGVSTAM VINDELICORVM.

FLOS *Augusta decusque civitatum,*
Formose urbium ocelle pulcriorum,
Quæcunque imperio manum fidemque
Germani imperio dedére regni;
Mœni sive mei rigentur undis,
Sive illas rapidum strepentis Istri
Flumen, seu liquidis Mosella lymphis,
Sive Albis pater alluat, vel alto
Rhenus gurgite, Rhenus amnium rex
Quotquot Teutoniæ fluunt in oris:
Quàm te, nobilis urbs, libenter, & quàm
Lætus conspicio, & magis magisque
Internis hilaratus in medullis
Mentem lætitiaq; gaudioque
Perfundor; mihi (quis putaret?) ipse
Vix credens, juga Cæcij rigentis
Australeisq; situs, & Oene flumen
Reliquisse tuum, Isaræq; ripas,
Et pulcherrima te videre rerum
In tuto! sed enim soluta curis

Et durum & grave mens onus reponit.
Iam non acre gelu, nives q; denſas,
Non me pœnitet horridum rigorem
Ac ſævos Boreæ tuliſſe flatus,
Divi numina Cæſaris ſequendo.
Feſſi quippe labore tædioſo
Tandem contigimus lares amatos,
Optatoque quieſcimus cubili.
Salve o imperij columna, ſalve
Auguſta aureola, elegans, venuſta,
Et pollens opibus, virisque præſtans.
Quæ ſeptemgeminos ad aſtra colles
Iactat, Roma tibi ſuperba cedit,
Cedunt Adriacæ paludis arces,
Cedunt mœnia regiæ Viennæ.
Vos ſalvete patres, avete matres,
Et vos o lepidiſſimæ puellæ,
Matrum deliciæ, patrum voluptas.
Gaudete o Lyciæ fluenta lymphæ:
Ride care Geni, bonaq; caſtas
Heic præſens ope ſoſpita puellas.
Quid felicius auſpicatiusve eſt?

AD IOAN. SAMBVCVM PANnonium, Cæſ. Hiſtoricum.

AEternis tibi tanta comparaſti
Chartis nomina, tanta conſequutus
Es præconia gloriamque talem,
Et tam grande decus perennis ævi,

Tantos

Tantos deniq; dijs pares honores;
Immortalis ut usque sis futurus.
Cur Sambuce tamen graves laborum
Moles, totq; molestijs refertas
Curas pertolerans, celebrioris
Famæ quæris ab arduis honorem
Scriptis; sive nigras dies tenebras,
Seu clarum revehant diem tenebræ?
Quamvis hinc tibi majus esse nomen,
Major gloria, grandiorq; multo
Laudis fama potest, uti mereris;
Excellentior eminentiorque
Fies inde quidem, nequis sed ultra
Immortalior esse dicierve:
Immortalis enim satis superque es,
Vt quem vita beat solo perennis,
Et quem vita beat polo perennis.

AD CASP. CROPACIVM P. L.

DIffugére nives, hiems soluta est:
Iam veris tepidi benigna mulcet
Campos aura, sereniore cœlo:
Gramen rursus & herbulæ virentes
Iucundas caput exerunt in auras,
Et rident vario colore florum;
Et nunc arboribus gelu maligno
Detonsæ redeünt, ut antè, frondes.
Quin tu perveteri meo sodali,
Vati Cropacio papyre dicis,

Claram Vindelicûm citis quadrigis
Augustam volet, algidi relinquens
Misæ flumina, Pelsinamque caram,
Germanos volo principes ducesque
Legatosque simul loqui disertos
Heic regum videat remotiorum;
Dum primos celebri sacer paratu
Conventus agit hac in urbe Cæsar.
Quare si sibi (ceu reor) tot atque
Tam claros proceres videre cordi est,
Tantillum cupidus viæ vorabit:
Consors ipsa tori licet per omnes
Obtestata virum deos, eúntem
Retrorsum vocet, atq; blanda collo
Nectens brachia, millies que verbis
Miscens oscula, detinere malit.
O si quis mihi nuntios beatos
Si quis nunc ferat, ilicet citatis
Curram passibus obviam sodali;
Illius q; oculos, amabilesque
Vultus terque quaterque suaviabor.

AD IOAN. BAPTISTAM Hænzelium, patricium Augustanum.

Longævos superi, precor, tenellam
Hænzeli tibi filiam per annos
Servent incolumem superstitentque,
Matris delicias, tuos lepóres.

Istam

Iſtam filiolam tuam modeſtam;
Cui nomen dedit una Gratiarum,
Delectabile nomen & venuſtum;
Grajoque Euphroſynen vocavit ore.
Iſtam filiolam tuam decentem;
Quæ ſtirpis decus, & venuſtiorum
Vernans floſculus eſt puellularum,
Quotquot Vindelicæ nurus tulére.
Iſtam filiolam tuam pudicam;
Purus quam, ſine labe caſtitatis,
In caræ niveis parentis ulnis
Nutrit lectulus, integer pudoris:
Quales bacciferis amœna Lædi
Myrtos flumina ramulis virenteis
Progignunt, Paphiæ ſacras Dionæ.
Iſtam filiolam tuam placentem;
Quæ tam flammeolis micans ocellis,
Stellas æthere lucidas in alto
Vincit flammeolis ſuis ocellis.
Iſtam filiolam tuam decoram;
Quæ tam floridulis nitens labellis,
Candens liliolum & roſam rubentem
Vincit floridulis ſuis labellis.
Iſtam filiolam tuam diſertam;
Quæ tot verſiculos ſimul Latinos
Signatos animo tenet fideli,
Teque illos recitat jubente, verbis
(Quantum ætatula fert) ſine ambigendo
Vtens perſpicuis & expeditis.
O miram ingenij ſagacitatem!

Serva

Serva Christe precor diu hanc puellam,
Matris delicias, patris lepóres:
Et vos uberioribus Camœnæ
Lymphis Aonij rigate fontis
Facundißima virginis labella;
Ac quondam facite, annuente Phœbo,
Ipſam vincat Olympiam beato
Felix carmine, Sapphicaque fiat
Muſa doctior eruditiorque:
Hoc nil pulcrius elegantiusve eſt.

AD IOAN. STVRMIVM.

FAcundißime Tullij nepotum,
Quos Germania fert, tulit, feretve:
Tot centena tibi Meliſſus optat
Vivas ſecula, vixerat quot olim
Nelides. & ut ille dulciorem
Omni melle, duces monens Achivos,
Fudit ſuavibus e labris loquelam;
Sic, Sturmi, tuus Atticis opimé
Dulcis ſermo precor favis abundet;
Rores unde alijs novos miniſtres:
Qui tanto melior probatiorque
Orator numeris tonas ſonoris,
Quanto pejor ineptiorque vates
Vndenis ego ſyllabis ſuſurro.

AD

AD SIMONEM SCHARDIVM I C. Cameræ Spirensis Assessorem.

FOrmosas pater undiquaque Rhenus
Nymphas éducat, educatque Mænus
Rheni frater amabiles puellas;
Nec illis minùs his ve pulchriores
Certé progenerat Nicrinus amnis.
Tu Schardi tamen omnibus puellis
Rheni posthabitis meique Mæni,
Neglecto quoque Neccharo propinquo,
Vnam longiùs ad Lyci fluentâ
Natam prendis amans, tui locandam
In partem thalami. Timete Nymphæ
Subiraſcier aut malè ominari:
Veſtri non odio Simon laborat,
Quin nec patriciâ creata gente
Philippina, pudoris atque morum
Exemplum q; decusque virginale,
Morſus invidiæ meretur ullos:
Autor ſi Deüs eſt tori jugalis.
Suevis indigenæ deæ deabus
Parcitote precor vel obloquendo
Obtrectare, vel invidere quidquam
Cauſſando: potiùs ſed æmulari
Illas diſcite. Melle dulciora
Suevi ſunt labra: ſuaviora fundunt
Sueva nectare verba: puriora
Geſtant ſeu nive corda, ſive cygni

Plumis

Plumis candidulis: colunt maritos
Sanctè; quàm fidei piæ tenaces,
Tam servare domum q; rem q; gnaræ
Aequis fœderibus. Beatus ille,
Cui talis bene cessit uxor. At tu
Schardi Cæsarei fori senator,
Gaude perpetuó marite gaude,
Cum desiderio tuo venusto
Vivens unanimes quietus annos.
Philippina animi tui levamen,
Philippina tui medela cordis
Dum floret q; viget q; fellearum
Timendum nihil est acerbitatum:
Nam conjux tua suavitas vel ipsa est,
Vel ipsissima theca suavitatum.

AD PAVLVM SIBERVM AB Ericis, Francum, P. L.

HEroum celebres, Sibere, laudes
Et fortissima principum virorum
Cum describere facta non gravarer;
Illi carmine pro laborioso
Vati præmia reddidere nulla.
Post me composui leves ad aures
Vulgi, queis Elegi placere nostri
Cœperunt; sed inanibus poëtam
Me per ludibrium vocare verbis
Quos dam non puduit, genus Cyclopum:
Ira tunc ego fervida tumescens

Omnes

Omnes quotquot erant meos libellos
Statim Mulciberi dabam cremandos:
Iam versus quia fortè mollicellos
Nec duros facio, quibus virentem
Oblectem modò transfigamq; vitam;
Amatorius arguor poëta,
Qui captem Veneresque Gratiasque.
Quid suades? an & hos rogis, ut illos,
Tradam? non faciam, Sibere. malo
Amatorius argui, meamque
Oblectare poëmatis juventam;
Quàm pravis stupidi placere vulgi
Conari auribus, & tamen reprendi:
Aut regum meritas ducumve laudes
Expers condere præmij laborum.

IN CVRAS.

CVræ, carnifices meæ juventæ,
Durum pectoris anxij gravamen;
Nam quis vos (age) vitricus creavit
Tam sævas, rigidas, truces, acerbas?
Quænam vos peperit noverca pellex
Tam diras, tetricas, graves, molestas?
Iucundos placido sopore somnos
Vos abrumpitis inquiete multa,
Nocturnoq; timore territatis
Mentes attonitas metu futuri:
Exesas etiam latenter imis
Vos consumitis ossibus medullas.

Vos primæ viridissimum juventæ
Depasci solitæ repentè florem,
Heu justum properatis ante tempus
Infelix senium, nivesq; canas.
Quin & nos macie ferè suprema
Toti conficimur, simillimique
Buxo palliduli videntur artus.
Tabesco velut icta Sole myrtus;
Languens sicut amaracus fatisco.
Quem vester malesanus urget angor,
Hunc nec potio nec cibus juvabit;
Quamvis dulcis hic & sit illa suavis:
Huic ipsa ambrosia est acerba; nectar
Amarum quoque; mel quoque est amarum.
Iuxta vos, comites duces q; fortes,
Mæror cum gemitu, dolor, pavorque
Et suspiria, lacrymæq; crebræ,
Et phantasmata, imaginumq; turbæ.
Accedunt cruciatuum cohortes
Ac condensa phalanx acerbitatum,
Nec non sollicitudinum catervæ, &
Centum millia cogitationum.
Tum sensus animiq; dividuntur
In partes varias & huc & illuc;
Turmatimq; acies ad unicum cor
Omnis tendit, in unico moratur,
Cor solum petit; impetuq; certé
Expugnent, nisi cum potente vino
Curarum domitor Lyæus adsit,
Qui tantam premat ingruentium vim

Dirarum

Dirarum, & valido retundat hausu,
Cum semper violentiùs recursant.
O fortissime victor, hostiumq;
Profligator, ades mihi benignus,
Cinctus pampinea caput corona;
Meq; exsolve gravi Lyæe cura:
Iamdudum celebres poëta cantus
Et claros meditor tibi triumphos.
At vobis malè sit, maligna Curæ
Pestis, carnifices meæ juventæ.

AD ANIMVM SVVM.

AH cesses, anime o miselle, cesses
Tandem, sponte adeó tua furendo
Insanire; sat est ineptiarum:
Curis non sat es anxijs peresus?
Flammis non sat es igneis perustus?
Cesses eja age, perditumq; ducas
Quod dudum perijsse conspicaris.
Quondam candiduli tibi benigné
Fulserunt Zephyro favente soles;
Iam nox purpuream repentè lucem
Furvis turbida comprehendit alis;
Adverso intonuit fragore cœlum,
Et circùm nebulæ volant opacæ.
Nubes atra (quid intuar?) serenum
Spissis involuit diem tenebris:
Diros quin etiam nigras per umbras
Vespertina sonos dedit volúcris.

Ah quàm ver breve tunc fuit peractum!
Longè maxima dein hiems sequetur.
Heu, quæ frigora flabit ipse Caurus?
Horrendum viden' ut fremant procellæ,
Tempestasq; magis magisque crebri
Aucto turbinis impetu gravescat?
Tu verò, o animè impotens, relinque
Tandem, quod periit nec exstat usquam:
Nec desiderio furens inani
Inter spemq; metumq; macerare;
Nec jam vive miser, sed obstinata
Perfer mente, pati quod heu necesse est.
Obdura bene fortiter, rebelle
Tempus sic voluit, vices q; rerum.

AD HIERON. VVOLFIVM.

HErba est, ex Helenæ ferunt Lacænæ
Natam lacrymulis solo profusis,
Tunc cum purpurei (nefas) pudoris
Idæus spolium Paris tulisset.
Radix hujus odora, plena succi,
Emollita mero, suas in illud
Quom diffuderit undiquaque vires;
In se tantum habet efficacitatis,
Vt mæstos animi levet dolores,
Vt mentes hilaret, graveisq; curas
Damnosasq; molestias repellat,
Ac demulceat omne, quicquid ægrum est,
Blandos concilians dehinc sopores:

Cen

Ceu Nepenthes Homericæ medelæ,
Bugloßive medulla temperati.
At non hoc mea tam ſapore vinum
Iuvat guttura, nec nova cor intus
Tantum lætitia mihi ſerenat;
Quantum juniperos olens Iacchus
Delectat tuus, o beate VVolfi;
Quem pleno mihi cantharo bibendum
Mittis, non ſine carmine eleganti;
Suevas dum jubeo valere Nymphas.
Vt jucundus odor ſuave fragrat!
Vt dulcis liquor imbuit palatum!
Vt pelluciduli nitent colores!
Splendens non ita fulgidis ſereni
Vel Phœbi radijs coruſcat aurum.
Sed quid, dic age dic amice VVolfi,
Iſto munere pro tuo rependam?
Commentor teneræ Lyæus uvæ
Suam care tibi precor juventam
Condonet, viridem ſuam juventam:
Sic vives bene; ſic diu valebis,
Nunquam (Phœbus ut alter) inſeneſcens,
Aut agens juveniliter ſenectam.

IN ARMILLAS.

ARmillæ, manuum decus mearum,
Rarum munus Hymettiæ Roſinæ:
Quænam Dædala vos manus parando
Tam ſcitas nitidasque perpolivit?

Quisnam industrius artifex in urbe
Tanto cum decore elegantiaque
Fecit? fallor, an ipsamet Rosina,
Qua vix ingeniosior puella est,
Docta has pinxit acu, affabréq3 finxit?
Haud fallor. quia enim colit Minervam,
Prudens Dædaleæ scienter artis;
Flavos verticis ábscidit capillos
Sua sponte, quibus suapte dextrâ,
Culta Iupiter & laboriosa,
Intertexuit aureos colores
Mæandrumq3 reflexibus recurvis.
Dein nomenq3 suum meümq3 gemmis,
Baccis lævibus, atque margaritis
Discrevit; medias & heic & illic
Ponens ritè rosas, rosas venustas,
Rosas aureolas. dehinc suo ore,
Mellito ore suo, sibi Melissum
E bello reducem precante sisti,
Blandé affata, oculisque dulce ridens
In signum ominis, osculumque libans;
Has, carissime mi Melisse, dixit,
Armillas digitorum opus meorum,
Armillas manuum decus tuarum;
Vllius digitis nec antè tactas,
Vllius manibus nec antè tritas,
Quin ullis oculis nec antè visas;
Si quid diligis aut amas Rosinam,
Nostri pignus amoris usque gestes;
Nostri munus amoris usque serves.

AD ANDREAM MERGILETUM Alphipolitanum.

SI noſtros mea, qui novem ſuperſunt
Parvi, FRANCIA *carminum libellos*
Longis haud ſinet interire ſeclis:
Noſcet poſteritas, ſcient minores,
Mergilete animi medulla noſtri,
In te quantus amor meüs fidesque
Cunctos exſtiterit dies per ævi.
Leget poſteritas, legent minores,
Quanta tu quoque caritate vatem
Sis complexus & usque proſequutus.
Non te diligo, vulgus ut ſodales,
Vt Bacchi ſocialitas alumnos,
Aut plebeius amiculos amicus:
Cognatum ſed uti ſuum propinquus,
Et gemellus ut alterum gemellum,
Fratrem frater amat, ſoror ſororem,
Patrem filius, unicumve ſola
Mater diligit ut relicta natum.
Imò te (mihi crede, crede) plus quàm
Fratrem ſemper amavi, amo, atq; amabo.
Tam mens candida, tam fidele pectus,
Tam ſimplex animus ſine arte fraudum
Mergilete tibi eſt & abſque fuco;
Tam morum ſimilis tenor meorum.
Quondam nec Pylades amico Oreſti,
Nec ſic Euryalo comes, nec ipſi
Theſeus Pirithoo favore tali

Conjunctus fuit, aut amore tanto,
Vix fratres Helenæ, perenne sidus,
Aequaleis animisve mentibusve
Tam concors pietas fides q3, sese
Inter fœdere copalavit arcto.
Quid causse esse rear? puellus infans
Nimirum mea triduo antecedens
Tunc natalia, conscio Decembri,
Es gavisus, uti forem coævus.
Matris deinde meæ sinu recumbens
Easdem, quas ego, vagiens & ipse
Suxisti quoque lacteas mamillas;
Eosdemque tenellus imbibisti
Succos, queis ego primulùm imbuebar.
Ne vivam, nisi sis mihi vel ipsa
Vita carior & meis ocellis;
Ac vita mage si quid aut ocellis
Carum est. quin & eo, fatebor, ipso
Hoc (si carius esse quid potest, quàm
Quod vita est magis atque carum ocellis)
Multo carior appetentiorque.
Mergilete sub ntimis medullis
Inque ipso mihi corde totus hæres.
Quis vidit geminos amantiores?

DE MALLIO.

Prostabat bonus ille caprimulgus
Alto Mallius in foro Viennæ
Tam vili pretio, minore quidquam

Vt

Vt divendier uſpiam nequiret;
Tam parvo raphani licent nucesve:
Illum nemo tamen volebat emtum.
Heic quotquot cupidis frequenter illum
Luſtravere oculis obambulantes
Cives patricijq; nobilesque,
Matronæq; nurusq; virginesque;
In primis manus omnis aulicorum:
Doctores quoque & artium magiſtri,
Et qui de baculis vocantur, & qui
Geſtant pileolos comis quadratos:
Tonſi denique Flamines, quibusque
Lumbos funis obit macros, itemque
Plebeij, reliquumq; vulgus, uno
Omnes ore, Quid, inquiunt, quidiſto
Turpi cum balatrone? ſi quis illum
Probé noverit, haud emet. faceſſat
Hinc malam malus in crucem, nigrosq;
Corvos in cruce vultures q; paſcat.
Furem furca decet, rotæ latrones.

PASQVINVS AD SCHEDIVM.

Schedi, Vulpius ille, quem pudicum
Quem caſtum toties & integellum
Coram me ſocioque prædicaſti,
Illiusque ferens ad aſtra laudes
Immutarier heu nequire dixti;
Scorti neſcio cujus impudici,
Fœdi, turpis, at usque purpurati

Illectus nimium nocente philtro
Sectatur meretricios amores;
Instinctu patruelis incitantis
Actus in Babylonios furores.
Haud illius & hujus uxor istud
Ignorant; patitur tamen libenter
Et fert utraque, ferre quod patique
Necesse est, nisi bestiam, ferocem
Bestiam malè concitare ad iram
Velint: cujus ad æ dium nefandas
Major confluit in-dies latébras
Multitudo frequentiore turba;
Olim quantus in annuo Corinthum
Concursus spatio nec esse factus
A me creditur; ad fores ut unas
Omnis Gracia Laidos jacebat.

AD IOAN. LOBBETIVM I C.

LObbeti, comes impiger Melissi,
Interpres bone Gallicæ loquelæ:
Dum te querquera febris inquietat
Algorem inter & improbum calorem;
Dum crudis stomachus caputque languent
Plena humoribus, aridumq; tussis
Coacto tibi concutit screatu
Pectus: dispeream, mihimet ipsi
Hoc malum nisi perfatiget artus,
Aut eosdem videar pati dolores.
Jam dulcesq; joci facetiaque

Mussant,

Mi tant, reddere queis iter solebas
Iucundum & breve: jamq; risus omnis
Et blandi, quibus affluis, lepores
Arent; historiæ silent disertæ;
Nec cantus lepidi vigent, nec artes,
Nuper quas dedit ARA *sacra Bacchi,*
Lævo littore collocata Rheni.
Abi febris abi, maligna febris,
Infestaque homines, quibus cor atrum est,
Qui pro melle vomunt venena. non hoc
Meüs commeruit sodalis. at tu
Valetudo redi, redite vires.

RESPONDET SEBASTIANO Scheffero.

Quòd præsepia rariùs frequento,
Impingue scit ubi recalcitratque
Effrænus meüs ille vector; haud fit
Idcirco, quòd abhorreant olentis
Nares fumidulum fimi vaporem,
Vt de te profitere: cæteroqui
Sané, ceu puto, non equester essem.
Sed quum Principis ipsius caballis
Adjunctus stabuletur, aulicéque
Degat, viscera pabulo refertus:
Vin' dissidere me, quibus ministris
Dux fidit? minus hoc deceret. atqui
Nescis? qui peregré est, equum saginet
Se præsente; domi saginet absens.

Meüs si macer est, aveniperdas
Equos nempe redarguas oportet,
Accusesve macros Ducis caballos:
Sin pinguis; quid eüm Sinonis arte
Alvo, callide, comparas Achivæ?
Concedam tamen aridus macerque
In tantum sit, ut ossa vix trahantur
Ab ipsa cute; carneüm vocare
Quomodo potes? osseüm vocares.
At verò nec in hoc Sebastiane
Vsurpare licentiam, sed ipsam
Carnem nominitare ligna sumis:
Quin & prodigitatis arte fretus,
Tuo non alienior palato
Quàm ferventis amantior culinæ,
Sed meis odiosior crumenis;
Magni cornipedem meüm valoris
Vili pro fluviatili coquendo
Flammis heu malè destinas cremandum.
Nomenclator es admodum facetus,
Et coquus nimis hercle liberalis.

AD C. O.

Zonas hercule perdidi, miserque
Aegritudine languida fatisco:
Collum fasciola ambit obvolutum.
Fauces has citiusq; fortiusq;
Vah angina nocens præoccuparit,
Quàm matura meæ gulam crumenæ

Argenti

Argenti numeratio replerit.
An Demosthenis (inquis) argyranche?
Subducta ratiuncula parumper
Trapezita fac hoc, amice, credat.
Certé nec tibi, nec mihi timendum est,
Somnum cura nec ista rumpet ulli,
Ne corrumpere me quis ausit auro:
Aes rarum quia solvit aula Græcis
Saltem, non Latijs item Kalendis.
O, quàm larga suæ tenacitatis
In nos huc fuit usq;, tam sit olim
Suæ prodiga liberalitatis!
Nam nec indigeo & carere malo
Tot farragine parsimoniarum.

AD IO. AVRATVM, PROfessorem regium.

AVrate, Aoniæ decus palæstræ,
Qui versus numerosior canoros
Tam Grajo pede quàm facis Latino:
Quis primus celeberrimæ per orbem
Fundamenta Academiæ locavit
Ad declivia Sequanæ fluenta?
Quis regum Clarias amans sorores
Tot collegia primus instruendo
Sacris hospitium dedit Camœnis?
Quom vel cerno frequentiam scholarum,
Vel claros adeó viros q; doctos,
Concursus hominum vel exterorum;

Aut

Aut considero regiam supremi
Saltem magnificentiam senatus:
Vt Demosthenicæ crepent cathedræ,
Vt tot pulpita Tullio resultent,
Multusq; Isocrates Platoque multus
Creberque eloquio sonet Pericles;
Vt tot causidici, tot advocati
Verbosum strepitu forum fatigent:
An non in medijs rear Pelasgis
Heic me vivere? non Lutetianam
Vrbem mirer ut alteras Athenas?

DE CANTIONIBVS

ORLANDI LASSI, MVSICORVM nostri seculi facilè principis.

AMphion lapides rudesque sylvas,
Vt Thebæ coalescerent struendæ,
Permovit resona lyra canendo:
Delphinos citharæ feros Arion
Balænasq; suæ favere vitæ
Pellexit moriturus in profundo:
Et testudine blandiente caram
Orpheus Eurydicen nigris ab antris
In hasce elicuisse fertur auras.
Isthæc magna quidem fidemq; fermè
Excedentia sunt; sed ecce majus
Quiddam! Carminibus suis venustis,
Elegantibus, & melodiarum

Plenis,

Plenis, artifices docens magistros,
ORLANDVS *meüs ille Lassus omnem*
Europam q. Asiam q. traxit ad se,
Ad se traxit & Africam remotam:
Suaves usque adeó sonat canores,
Dulces usque adeó canit sonores.

AD IO. POSTHIVM, FRANconiæ Ducis Medicum.

POsthi candide; si quid universo
Vsquam sub Iove pluris æstimandum,
Quàm gemmæ, nivei vel uniones,
Aut quidquid pretiosius vel Indi
Vel mittunt Arabes, fretumve rubrum:
Ipsa Amicitiæ fides profectò,
Sacrosancta fides, inanis expers
Fuci, nescia fraudis & colorum;
Longé pluris ab optimis quibusque
Censeri pretiosiorque debet.
In terris tamen illa rara valdé est,
Non, castè nisi, non nisi pudicé
Conservanda. priùs nigros olores,
Candentesque sit invenire corvos
Minor pœna. Colamus ergo, Posthi,
Hanc junctis animis fidem, pariq.
Alter alterum amore prosequamur;
Crabrones q. vagos leves q. vespas,
Qui concordibus obstrepunt poëtis,
Nec pili facias nec assis, hoc est,

Nil

Nil moreris. ut invicem frequentes
Rauco murmure misceant susurros;
Blandinam tamen & tui libelli,
Rosinamq; canent mei libelli.

IN BIBLIOTHECAM POETICAM Conradi Albini patricij Francofortensis.

ALbini videor mihi videre
(Quanquam longiùs absumus) poëtas
Antiquos simul & simul recentes
Ex succis tineïsque blattulisque
Comesis saturos abundè: verùm
(Vt res clamitat ipsa) semivivi
Omnes præ nimia siti fatiscunt.
Tu nunc Aonios bibis liquores,
Nunc Albine merum Thyonianum;
Et vates modò Teutonum fatigas
Plenis cymbia potitare labris,
Quæ vel Castalios olent odores,
Quæ vel Franconicas sapore produnt
Vvas; immemor interim tuorum
Quos urgens sitis enecat, librorum.
O crudelis! aquamne parcus illis
Ministrare negas aluminosam?
Quid quæso faceres, ubi mel Hyblæ
Aut carchesia poscerent deorum?

AD

AD POSTHIVM.

DVm tu flebilibus modis acerbo
Rapti funere mœsta Rondeleti
Luges (mœstior ipse) fata, Posthi:
Nos heic ad Ligeris sedemus amnem,
Deflentes querimonijs amaris
Exstincti cineres pios Eberi.
Heu sæva nimis infidele Parcæ
Prædurumque genus; quid eruditos
Et claros simul invidetis orbi
Viros, lumina seculi, per annos
Dignos vivere Nestoris trecentos?
Nullos ah utinam volans ab Albi
Aut falsos mihi nuntios tulisset
Tristis fama; Liger meis nec unquam
Crevisset lacrymis, adhuc nec udi
Plorando miserè mihi ruberent
Ocelli: superaret ipse Eberus,
Dia & nunc quoque vesceretur aura.

AD CASPARVM PEVCERVM, Historicum.

ECquid, Leucorei decus Lycei
Peucere, historiæ tibi inchoatæ
Adhuc texere lucubrationes
Pergis strenuus? ecquid elaboras?
Vestris ah utinam locis vel unum
Præsens esse queam diem, vel horam

Saltem,

Saltem, lux mihi tota si negetur;
Quàm multas spatio brevi recensens
Narrarem tibi res & actiones:
Partim, tempore quæ prioris anni
Circa Cæsaris expeditionem
(Vidi scilicet adfuique præsto,
Haud parvos tolerans ibi labores)
Infeliciter accidére; partim,
Quæ nunc his regionibus geruntur,
Dum civilia Galliam nefandis
Perdunt cædibus arma, nec rapinis
Est ullus modus. ipse mi vicissim,
Duri quidquid apud Gothæ cruentæ
Actum est mœnia, postmodùm referres.
Sed tuus procul Albis (hei) nimisque
A flavo Ligeris diremtus amne
Distat; nec potis hinc Apollo densos
Ad te mittere literas per hostes.

AD IOACH. CAMERARIVM.

FOrtunate senex, amice Musis
Et Phœbo sacer, & propinque divis:
Quo te nomine prædicem, quibusve
Laudes carminibus tuas ad astra
Extollam celebrans? procul remotus
A vulgi strepitu forique turba
Libros inter amiculosq; suaves
In pulchra Philyræ nitentis urbe
Lætus vivis, amans timensque Christi;

Tranquil-

Tranquillus q; animi beatiorem
Tuto degis in otio senectam,
Donandus rude, debita labori.
Ipsos jamque, beate, filiorum
Natos, dulciculos avi nepotes,
Vestri spem generis, domi videre
Gaudes. ut volupe est tibi! quod ipsum
Hoc donum tibi proprium sit, opto.
Nos contra, quibus atra sors molesta est,
Errando varias per orbis oras
Florem perdimus optimum juventæ;
Nec quimus placida frui quiete,
Speratave potirier Rosina:
Quin & Mars ferus expulit fugatos
Gallûm finibus. ovicißitudo
Improvisa, necessitasq; fati
Vrgens! o pietas avita patrum;
Te propter sumus exules, & hancce
Vitam, de capite heu periclitati,
In discrimine vidimus supremo,
Carpentes medios viam per hostes;
Nec diplomata præstitére tutos.
At tu, care senex, pias ad aras
Mecum posce Deüm rogaque pacem,
Vt quæ dira fremunt ubiq;, cessent
Tandem bella; salus revisat urbes;
Christo sit locus, otium Camœnis.
Sic te nulla tumultuum malorum
Turbet seditio, feri nec ullus
Gradivi furor exulare cogat:

Sic vivas bene: sic agas quietam
Curis liber ab anxijs senectam.

IN ANNOS CLIMACTERICOS lusus.

IAm nobis iterum (bonum sit, opto)
Quanquam non sine maximis periclis
Climactericus est peractus annus.
Fatales numeri, quibus regendum
Vitæ curriculum dedit supremus
Naturæ sator; o meo sinistrum
Quod porrò capiti timemus, omen
Hinc avertite: quidquid & molestum
Aut durum fore nostis aut acerbum,
Per clementia mitigate quæso
Iovis Mercurijque Cynthijque
Et Lunæ Venerisque gratiarum
Plenæ lumina. Mars recondat ensem,
Saturnus posito rigore falcem.
Sic vobis ego circuli per orbem
Septem constituam globos quotannis;
Quorum, si pote, singulos novenis
Coronabimus undiquaque sertis.
At si me Libitina dat sepulcro,
Promissi reüs ante quàm satisdem;
Pro me SCALIGER *hos meüs coronet,*
Terſæ SCALIGER *artifex loquelæ,*
Gnatus inclytus inclyti parentis.

CYGNI

CYGNI QVERELA.

HEu, heu! men' oculis videre posse
Partus monstriferos, nec emoriri?
Ementita rubrum croci colorem,
Quæ cassita vocatur, ales illa
Enixa est aquilam nigram, trifaucem;
Hæc pullos mihi devoravit omnes,
Pullos innocuos & immerentes.
Mox & grypha leünculumq; natos
Ex ovis aquilæ, meam secundó
Deglutisse queror querarq; prolem.
Alter (nec moror) hostium duorum
Vulpem postmodò fraudis architectum,
Alter progenuit lupum rapacem;
Qui vellus niveüm measque plumas
Et morsu lacerant & ungue vellunt:
Milvinas habet ungulas uterque.
Heu, heu! mene pati, videre mene
Monstrosas suboles, nec emoriri?

AD GEORGIVM SCHREgelium.

MOntosam colo dum Vesontionem
Ad Dubis liquidas strepentis vndas;
Abs te nocte dieq;, mi Georgi,
Quo fallam grave tempus, aut Latinum
Aut Grajum cupio venire carmen:
Sed tu protrahis in-dies morando,
Ac desiderio tenes flagrantem

Legendi tua metra. quin satisfac
Illis pollicitis tuis, datamque
Conservare fidem memento. versus
Haud longos peto, sed breveis & aptos;
Pagellam tamen integram replentes:
Vt quem diligo quemq; amo libenter,
Noscam te penitissimis medullis,
Ex ipsis velut unguibus leonem.

AD BOISSARTVM.

Limas dissimiles habent poëtæ,
Diversos veluti fabros sequuntur.
Ne Boissarte mei novem libelli
Non possint variis nitere gemmis,
Vnionibus atque margaritis;
Multos aurifices labore vinco.
Tu versa vice pendis uniones
Parvi, deq; tuis tribus libellis
Gemmas eximis atque margaritas,
Vincens artifices labore multo.
Nimirum (quis enim tibi reclamet?)
Baccatum satis æstimas poëma,
Grandes absuerint ubi coronæ;
Lima quas resecare gestit. O quàm
Scobs abradier ista digna visa est,
Quam non rodere quit Melissomastix!

AD NI-

AD NICOLAVM CLEMENTEM Trelæum.

Dodecasyllabi.

NON externa sed interiora quærit
Boissartus meüs ille, suos libellos
Eunuchos faciens, faciens spadones.
Cultellos amat immodicè secantes;
Castrat Pontifices malè Cæsaresque.
Clemens, dic age dic nimium severo,
Vt clementiùs immeritos libellos
Tractet. quàm metuo (metuisne & ipse?)
Si perrexerit, ut lubet, expatrando,
Ne Phœbum Charites q; sacras q; Musas,
Ne cunctas Veneres q; Cupidinesque,
Ne castret quoque virgineam Minervam.

PRO FRANCISCO PORTO FEbricitante.

EHeu! quó meüs usque languefacto
Portus corpore, lectulo cubabit?
Febris pessima quamdiu misellum
Torquebit, toties suo recursu
Immutata vicem? Salus ades dum,
Integerrime flos ades vigoris;
Tu formæ decus & medulla vitæ.
Si tam prospera, fausta, tam beata es
Et felix, ut es hercle, sic ut istis
Nil accedere commodis potissit:
Aut ægrum volo, plus satis peresum

Morbo, quàm sua membra sint ferendo,
Curas restituasque sanitati,
Addens robur & auctitans vigorem:
Aut (ignosce Salus, quod ajo) certé
Febrim dixero te valentiorem,
Et fortem magis ac magis potentem.
Quid cessas age; quid rogo moraris,
O morbi domitrix, febrisq; victrix?
Gratus pro meritis memorq; tantis
Autori Domino salubritatis
Iam soteria Portus ecce sacrat.

AD FORTVNATVM CRELLIVM Carinthum.

FOrtunate, quid humidas abundè
Refers Vtenhovi mei papyros,
Et Pallantiados meæ papyros,
Multis carminibus novis refertas?
Totæ namque madent foris & intus
Rore. fallor, an has liquore lymphæ
Hippocrenidos uvido rigavit
Non pol una, sed aut novem sorores,
Aut ternæ Charites, decensq; Pallas,
Aut vatum pater atque dux Apollo?
Sic est. quin etiam salubris illas
Adsperfit Iovis unda, delibutas
Succis mollibus, ætheris medulla.
Fortunate, ter & quater beatum
Si te judico, qui sinu fideli
Has Pallantidos Vtenhoviique

Dignus

Dignus ferre repertus es papyros:
An non me reputes beatiorem
Qui tam dulciculas legam papyros,
Qui tam candidulis fruar papyris?

AD CAROLVM VTENHOVIVM C. F. patricium Gandavensem.

Dodecasyllabi.

TVas delicias vocitas Melissum;
Meas illecebras ego te vicissim
Dulcis Carole nominitabo. nunquid
Hoc ipsum poteris prohibere? quippe
Tu quas illecebras mihi captiosas
Remittis, faciunt pol, ut erudita
Hæc Pallantiadi metra dedicare
Ausim. perleget has ce meas puella
Nugas, & mea somnia naniasque
Ridebit: mea ludicra fabulasque
Ridebis quoque tu pater Atticarum
Iucundissime Carole suavitatum.
At scito, licet ex apium volantcis
Alvearibus, egregijs cachinnis
Tales excipias (ut & ipsa) lusus;
Tales me revocare nequire lusus,
Alvearibus ex apium volanteis.
Liber dum vaco mole negotiorum,
Curis sepositis gravioribusque
Rerum ponderibus; tibi quando sane

Quod cantem nihil est, nihil hercle præter
Has meras tibi canto Melissitates.

IN DEXTRAM

IOHANNÆ PALLANTIÆ VIRGINIS nobilissimæ.

Dextra candidulo nitens colore,
Qua nec lac magis albicat vel ipsum,
Nec fulgentior est nitor nivalis;
Dextra purpureis serena venis,
Dextra lineolis decóra vivis,
Dextra coralijs amicta rubris;
Pallas cui teretes, leves & aptos
Et longos digitos & elegantes
Formavit, resonam chelyn moventes;
Qualem Pierij chori magistræ
Plectris dulcibus increpant canendo:
Salve terque mihi quaterque salve
O Pallantiados manus Iohannæ:
Salvete o digiti, tenellulorum
Palmæ more modoq; ramulorum
Vernantes. Manus illa (amabo) tunc es,
Doctos Vtenhovi perita versus
Descriptos dare tam typis amœnis,
Typis splendidulis, typis venustis?
Tunc es illa manus, meos recenteis
Psalmos vertere gnara, tam diserta
Linguæ duplicis elocutione?
Hinc sunt digiti illius puellæ,
Quæ vel judice vicerit Minerva

Auroram

Auroram rubicundulis labellis,
Cyprin flammeolis suis ocellis?
Certé hi sunt digiti ipsius puellæ,
Musarum Charitumq; pulchriores
Pulchellis digitis: fragrantiores
Et rosis violisque lilijsque,
Leni quæ Zephyri tepentis aura
Mulcentur viridissimis in hortis.
Certé hæc est manus, omnibus quot exstant
Magis roscida roribus marinis,
Magis florida floribus sativis,
Magis candida candidis ligustris.
Certé hæc est manus, Indicis q; gemmis
Et cunctis pretiosior lapillis,
Gaza quos Arabum beata gignit.
Ganges aureolas Tagus q; volvunt
Arenas: manus aureis arenis
Hæc mi carior est erit q; semper;
Tanto carior est erit q; semper,
Quanto rarior æstimatiorque
Manûs hæc manus antecellit omneis.
Hac ipsa tenuit liquore vini
Pocillum mea Nympha delibutum,
Tuis Carole quod mihi Kalendis
(Quamvis millia multa tunc abessem)
Propinavit amore vinciendo.
Quid me quid vetat hancce basiare
Dextram? num vetor osculis amicis
O castissima virginum Iohanna,
Tuæ tangere vix supremapalmæ?

Te, te suavior, o manus tenella;
Bis te suavior, o sacrata dextra;
Ter te suavior, o amanda palma.
Cur te subtrahis (ah) labris Melissi,
Cur te subtrahis o manus venusta?
Hanc prius tamen ecce suaviatus
Sum, quàm retraheres, sinu reducto
Versus pectus heræ tuæ pudicum,
Istam molliculam, lacerte, dextram.
O suaveis digitos manus fragrantis!
O vos articuli thymo madentes!
O blandum cubitumq; brachiumq;!
O bellissima vincla vertebrarum!
Eheu deciperis nimis Melisse:
Haud Pallantiados manum Iohannæ
Osculatus es; illius sed umbram
Saltem, quæ modica vigens papyro
Picturæ specimen tibi reliquit:
Absens quàm procul a tuo remota est.
Nunc Pallantias illa Myrtileto!
Quid tum postea? forsitan licebit
Præsentem (modò vivat) intueri
Olim, basiolumq; delicatæ
Fi gendum dabitur pudenter atque
Honestè manui. Interim propinquam
Vmbellam volo basiare dextræ,
Tam gratam mihi, quàm manum remotam.
Hanc tamen videor videre coram;
Scitos usque adeó typos figurat,
Figuras adeó fabrè ipsa format,

Formas

Formas usque adeó decenter ornat.
Quin votis superos simul precabor,
Vt tibi bene sit, manus salubris;
Et vobis, digiti, bene ac beaté.
Sic o sic digitis manuq; salva,
Nec solùm digitis manuque salva;
Membris sospitibus sed universis,
Nec non incolumi vigore mentis,
Et tu floscule castitatis, ingens
Musarum decus atq; gratiarum,
Virescens valeas perenne, vatis
Meliſsi memor usque; & ejus fias
Tanto doctior omnibus puellis,
Tanto & cultior omnibus puellis;
Quanto pulchrior omnibus puellis,
Quanto es clarior omnibus puellis.

AD C. VTENHOVIVM C. F.

Vlsus sum mihi nuper Vtenhovi
Candidiſsime, languefacta Muſis
Somno molliter irrigante membra,
Herbas inter & arbores comantes
Susurrantibus hinc & inde lymphis;
Non in Alcinoi quidem viretis,
Non in Hesperidum fragrante sylva,
Non in Elysijs deambulare
Campis; sed Paradisijs in hortis,
Quales primigeno fuére ab ævo.
ARAM *conspicor intimis nitentem*
Penetralibus. hanc utrinque cinctam

Vestibant

Veſtibant ederæq; laureæq;
Et myrti, pretiumq; juge palmæ
Victorum, & precijs nemus racemis.
Iuxta cedrus erat virens amœnùm
Odoris foliijsque frondibusque:
Heic tot nomina, tot laborioſa
Anagrammata floridis videres
Sculpta in corticibus, quot hac reperti
Tempeſtate ſub Italoque cœlo
Germanoq; vigent probi poëtæ;
Et quot docta viros honeſtiores
Francogallia conſecrat Camœnis.
Inter cætera tale deprehenſum
Eſt; VICTVRVS HONOS VALE, *quod ipſe*
Clemens fixerat ex tui figuris
Clari nominis. Inclytam ſed Aram
Perluſtrans, alabaſtra pura ſenſi
Ex vivæ & ſolidæ nitore cretæ,
Scapis hoc titulo brevi ſtriatis;
HÆC ARA EST SACRA CANDIDIS AMICIS.
Nil hac candidiusve puriusve,
Nil hac terſius elegantiusve,
Nil hac lucidius politiusve
Vſquam Carole vidimus locorum.
Inſcriptum memini tuum meümq;
Et Pallantiados tuæ meæq;
Nomen aureolis notis decórum.
Hinc, inciſa tholo recèns, tuorum
Fratrum inſignia patrueliumq;

Tantum

Tantum præ reliquis serena lucent;
Quantum Tyndaridæ, gemella celso
Splendent astra polo, volansve Cygnus.
Demùm cernere erat loco supremo
Longævi senis, optimi parentis
Vestri, grandibus implicata thyrsis
Prisco stemmata Belgio creata.
Dum miror, tenuis meos ocellos
Linquit somnus. at ecce fortuitò
Fortunatus adest, tui favoris
Candoris que mei gerens tabellas;
Testes pectoris utriusque nostrum.
O suavissima Somnij magistra
Quies; futilis haud tua est imago,
Falsa nec species fores eburnas
Lusit. Carolus en meus sodalis
Verè candidus est, teres, rotundus;
Verè fidus & integer, piusque
Ac sincerus: idipsum imago rerum,
Idipsum docuit typi character.
At tu Carole pervicace porrò
Serves hanc animi tenore mentem;
Sum facturus idem tuus Melissus.
Illibata Fides, basin sub imi
Cordis scriniolis perennè firmâ,
Est Altare, sacrum bonis amicis:

DIALOGVS

DE PETRO LOTICHIO SECVNDO.

MVſæ, noſter amor, novem ſorores;
Heic quænam in medio ſalubris horti
Ad Nicri liquidùm ſtrepentis undas,
Novis frondibus arbores vireſcunt?
Lotos, myrtus, & alma laurus. At quæ
Succreſcunt ſimul herbulæ ſub umbra?
Nardus, mollis amaracus, marisque
Ros. Florum quis odor bonus fragrantum
Adſpirat? Violæroſæque ſuaves,
Alba & lilia. Qui fluunt liquores
Exſultantibus hinc & inde rivis?
Liquor nectaris atque mellis atque
Lactis. Quæ volucres ſonora circùm
Linguis ora loquaculis reſolvunt?
Pſittacus, philomela, cygnus, unà
Junctis vocibus accinunt poëtæ,
Poëtæ tenero, pio, modeſto.
Quisnam eſt ille tener, pius, modeſtus?
Petrus Lotichius Secundus: huic nos
Treis circa tumulum ſacramus aras.
Quis cuſtos tumuli? Venus, paterque
Vatum Phœbus, & una Gratiarum.
Ararum quis? amicioreve vincti
Nodo pectora, Poſthius, Trelæus,
Et tu præcipuè Meliſſe noſter.
Salve ergo mihi ter quaterq; ſalve

Et ra-

Et vale Petre Lotichi Secunde,
Cui tam nobile contigit sepulcrum:
Tuq; o noster amor, novena turba
Fac manes placidé cubent Secundi.

AD ERASMVM NEVSTETERVM cognom. Sturmerum, Eq. Francum.

Evolvit niveüm meüm libellum
Ater Zoilus, hactenus legendo,
Nostræ carpere quidpiam Camœnæ
Mordaciſsimus: at male est, Eraſme,
Illi; tam male, quàm bene est Meliſſo.
Frendens dentibus, & caput superbum
Quaſſans, inq; rotæ modum requaſſans,
Quanquam nil, ait, invenire poſſum
Quod queam meritó calumniari:
Ne ſim diſsimilis tamen meorum,
Sed morbos animi perinde prodam;
Hoc ipſum, reperire poſſe me nil
Tantilla reprehenſione dignum,
Cujus ſim meritó calumniator;
Ipſum ſcilicet hoc calumniando
In me Zoilus ipſe criminabor.
Pulchré Zoile convenis tibiipſi,
Lactucas ſimiles habens labrorum.

AD FR. PORTVM CRETENSEM.

Quei ſit Porte, ſenentium cygnorum
Candidiſsime cygne; quei ſit, inquam,

Vt pra-

Vt præter reliquos homunciones,
Ah ah immeritissimos alumnos
Musarum Charitumq; Palladisq;
Necatos velit ægritudinumq; &
Morborum genus omne pestilentum?
Vix te febris, inauspicata febris,
Tandem liquit, in Adriæ profundum
Relegata: sed ecce pestis illa,
Illa pestis amarior cicutis,
Colchicoq; nocentior veneno,
Trux quartana, malis quotidianis
Vexat Scaligeri caput, Minervæ
Sedem; pectus, Apollinis sacellum;
Linguam, Thespiadum meram scatébram.
Adsis o, juveni senex medendo
Cretæa panaces dature ab Ida;
Divam quale pio salubre germen
Ferunt Idaliam dedisse nato.
Sed tam lenibus illa non movetur:
Frustra quærimus herbidas medelas.
Quòd si Porte avus es, paterq; Beza,
Si proles Stephanus novem sororum,
Quòd si Scaliger est nepos sororum,
A quo doctior orta erit propago:
Omnes unanimi phalange vires
Quæso promite, frigidamq; febrim
Iussis sedibus emigrare tardam,
Et tot pharmaca sæpè despuentem,
Ejectum simulite, ceu meretur:
Quæ tanto minus audeat reluctans

Contra quatuor una dimicare;
Quanto infirmior unus est duorum
Hercules grave sustinere bellum.
Eja Portecie manus ad arma
Pugnator veterane. nam profectò
Hæc dum injuria tanta vindicatur,
Et vesterque melis q; confovetur
Iosephus, lepor ille Gratiarum;
Defensas datis & novem Camœnas,
Et servatis Hyantidum nepotem,
Et quos ille creaverit nepotes.

AD NICOLAVM RVDINGERVM Pisovernatem.

Legis juridicæ foro diserto
Addictos studeo tenore voti
In nostræ numerum sodalitatis
Aggregare; sed aut verentur ut stent
Pactis, aut metuunt sibi futurum
Hoc fraudi. siquidem ducum per aulas
Nullis esse ferè locum relictum
Ajunt, ni didicisse censeantur
Potare egregiè; nec (ut probatum est)
Doctores alios suis in aulis
Quosdam posse libentius videre
Quàm scitos genialiter bibendi.
Cæterùm fieri nequire dicunt,
Vt qui grande obeunt negotiorum
Pondus, sæpius hinc & inde missi,
A multo sibi temperent Iaccho,

Largè quem proceres nimis propinent.
Faceſſant mihi, Nicolaë, tales
(Quos abominor usque) combibones;
Sive juris erunt peritiores,
Sive ſtemmate nobiles equeſtri,
Sive conſiliarij, frequente
Quaſi tempora crapula. faceſſat
Quisquis perſimilis ſui laborat
Eſſe, ſobrietatis inquinator
Et juſtæ violator æquitatis,
Pauciſimus, & invicem colamus
Hæc conſortia noſtra, temulentæ
Hoſtes ebrietatis & choreæ
Bacchantum. cerebroſa multitudo
Frendeat licet & fremat furendo;
Silenos Satyros q; nil moremur,
Nec pili faciamus ebrioſos:
Sed per ludibrium licenter illos
Inſectemur, & omnibus cachinnis
Rideamus. erunt (opinor) olim
Quidam carmina noſtra lectitantes;
Queis ſi verba DEI *ſevera nullum*
Forſan injicient ſui timorem,
Hi ſaltem, meritò quibus rubeſcant,
Verſus incutient mei pudorem.

AD EVNDEM RVDINGERVM.

RVdingere quid heic agam locorum
Gelatæ glaciè rigente brumæ,
Noli quærere. Poſthium frequento

Emunctæ

Emunctæ nitidus poëta naris,
Cui brumalis hyems rosas Decembreis
Vernis educat elegantiores,
Rosis Idalijs fragrantiores,
Rosis Pœonijs salubriores:
Quinta quas ubi cellula cerébri
Odorére sagax, statim quaterna
Milliaria gesties vorare;
Adspectu modò talium rosarum
Donetur tibi suaviter potiri,
Sobrioq; frui sodale bino;
Qui suspendere vulgus ebriosum
Tam pro muscide callidi reduncæ,
Quàm (ceu bubalon annulis, equum vel
Frenis) percupidi sumus trahendi
Temet naribus. En, mei theatri
Iam proscenia lota sunt aceto,
Orchestræ quoque pulpitum renidet
Tectum sipparijs tapetibusque,
Vacerræq; superbiunt amictu!
Soccos arripe Nicolaë, soccos
Leveis arripe, non graveis cothurnos:
Nasuti quia te dicaculique
Præstolantur, ad uvidum morantem
Nodoso pede Tubari fluentum.
At quom te dabis in viam, caveto
Ne nasi tegimen domi relinquas:
Plagis frigus ab Arcticis acutum
Valdé, more novaculæ secantis,
Immisit Boreas, pater Rigoris.

Futurum est (mihi crede) cæteroqui
Neglectis monitis meis, ut ad nos
Aut nullum referas poëta nasum,
Aut tumoribus algidis obesum:
Sic nec olfacies rosas, nec ipsi
Scenæ conspicieris absque naso.

AD HENRICVM STEPHANVM, Parisiensem.

Morem præter in extima papyro
Compellatus, epistolam legendo
Risurus fore sum tibi æstimatus:
Hæc opinio te nimis fefellit;
Certé pol lacrymas meras profudi.
Si coram, Stephane, expeditus esses,
Vdum fletibus hercle me videres.
Lustrans emporium q; nundinas q;
Et consortia mercimoniorum,
Subter Posthimelisiam tabernam
In tam ridiculum & jocis refertum
Funus sobrius incidi maduſæ;
Vt luctu calicum capedinum q;
Et risu Venerum Cupidinum q;
Cachinnatio me ferè enecarit.
Hinc quanto grávioribus lienem
Concussit mihi rex meri cachinnis;
Tanto emotio copiosiores
Excussit lacymas meis ocellis.
At cessante profusiore risu,
Quum sub calce supinus attigissem

Literas

Literas avidissimé legendas;
Dulcamára aqua sive amaridulcis
Labens per bivium genæ gemellæ
Abstergi ter & amplius poposcit.
Si ridere tuum dehinc Melissum,
Si præposteravis parodiarum
Vt, Henrice, reciprocé rependam;
Tales sæpè mihi remitte luctus:
Quid his lætius est alacriusve?

IN FRANCOFORDIENSIS EMPORII Encomium, ab H. Stephano scriptum.

THersiten alius febrimque laudet;
Hic injustitiam, ferum ille Nilî
Regem prædicet hospites necantem:
Alter calvitij sit, iste muscæ
Laudator parasiticæq; vitæ:
Commendent alij boves oves q;, &
Barbas stultitiasve pulicesve,
Et si quæ paradoxa gloriosé
Quærunt in tenui labore docti.
En dum tu Stephane elegantiori
Francorum emporium stylo celébras,
Veré Francigena esse nosci taris,
Antiquum patriæ decus sonando.
Nec tam præripis æmulis honorem
Quàm fers Teutonibus tuis honorem;
Qui non hanc modò notior per urbem,
Sed totum quoq; transvolabit orbem.

Sic pennis celeber vehére famæ,
Quam fecit tua penna clariorem.
Ecquid nobilius dehinc petissas,
Si laudem comes insequuta laus est?

IN FRANC. HOTOMANI IV. risconsulti Francogalliam.

Qualis aut viridis nitet smaragdus,
Aut qualis rutilus micat pyropus
Gemmas inter & Indicos lapillos:
Talis iste tuus recens libellus,
Aure splendidus, enitet micatq;
Inter historicos meos libellos.
Meis nec minùs allubescit ille
Francis, quàm nequit haud placere Gallis,
Publicum patriæ statum tueri
Fervidis, veterumq; jura legum.
Quas ex historiæ scatente fonti
Ad incendia Galliæ flagrantis
Restinguenda refers aquæ sitellas,
Libertatis amator & patrone;
Num sint de nihilo? pares & alter
Quispiam studiosiore cura
Item tertius urnulas ministret;
Sedatum dabitis furoris ignem.
O si bella quiescerent Enyus,
Cruentissima bella turbulenta
Enyus, Hotomane, denuóq;
Pax inviseret arva Gallicana:

Flos

Flos priſcæ revireſceret juventæ,
Flos novæ revireſceret ſenectæ.

AD IAC. CVIACIVM IVRIS-consul.

A Straæ redeüntis anteceſſor
Cujaci, Themidos q3 reſtitutor:
Fama crebruerat per hoſce tractus
Scholam, morte tua, Valentianam
Orbatam duce prævio. querelas
Audivit Nicer audÿt q3 Rhenus
Multorum celeberrimûm virorum,
Et quos Spira tenet; tenent q3 noſtra
Fori juridici lycéa. quin &
Luctus ingeminans acerbiores,
Et fletus duplicans amariores,
Fatis ipſe tuis gemens parabam
Funebres elegos: ſed ecce noſter
Ille CNIBBIVS *eximit levat q3*
Perculſis animis graves dolores,
Te jam convaluiſſe nuntiando
Transmiſſam per epiſtolam recentem,
Pro tam ſignificatione læta,
Pro felice relatione chartæ,
Pro lectis modò nuntÿs beatis
Ecquidnam potero tibi referre
CNIBBI? *vivit adhucne doctus ille*
Interpres veteris noviq3 juris,
Qui de mortuus iſſe jam ſub umbras
Dicebatur? adhucne vivit ille?

Certé vivit: & hoc enim Meliſſi
Carmen perlegit ore geſtienti,
Exſultans, & amat meæ Thaliæ
Toto pectore gratulationem.
Evax! usque vale ſalute partâ
Cujaci, memor & tui Meliſſus
Vt ſit adſpice; qui bonos amicos
Aequé quàm proprios amans ocellos,
Plus te amat propriis ſuis ocellis.

AD IEHOVAM DEVM OPT. MAX.

NAturæ ſator, omniumque rerum
Felix conditor; architecte mundi:
Quas quæſo tibi filioq; Chriſto
Aeterno ſimul & ſimul potenti
Grates vilis homillus ac miſellus
Agam? pro meritis tot atq; tantis,
Pro tot muneribus tuisq; donis;
Ingratum quibus hactenus benignè
Majeſtas tua glorioſa ſemper
Affecit; bona mi quotidianos
Neceſſaria largiens ad uſus,
Et quæ nec precibus nec antè votis
Abs te ne ſemel (heu) quidem petivi
Indigniſſimus omnium, quot aura
Veſcuntur. quid enim, quid o Iehovæ
Sum, terræ niſi gleba, qui putreſcens
Momento in cinerem brevi reſolvar?
Magnas divitias opesq; multas,
Queis plæriq; pecuniæ ſtudentes

Perfas

Per fas perq; inhiant nefas avari,
Non desidero possidere. pestes
Hæ perdunt animam: furens habendi
Ardor perniciem ciet saluti.
Si porrò maneat salubre corpus
Cum vita incolumi; sat ipse dives
Ero, sat locuples; opum heic abundè est.
Nil mortalibus optimum caducis,
Nil unquam mage prosperum dedisti,
Ac dulcissima dona sanitatis.
Saltem fac pater, ut (quod oro supplex)
Ne vestigia semitæ relinquam
Præmonstratæ sacri tenore verbi;
Ad dextram neque me vel ad sinistram
Aversos agat error in recessus,
Intricatus & execrandus error:
Sed cœleste tuum tuiq; nati
Præsens numen ubique me gubernet,
Gressusq; invalidos pedum labantum
Metas dirigat ad viæ cupitas.
Tum vivam bene, tum satur dierum
Aevi curriculo mei peracto
Tandem fine bono senex quiescam.

MANET IMMVTABILE FATVM.

P. MELISSI
ELEGIÆ.

NITHARDO THVNGENO EQVITI FRANCO ELEGIDIA SVA DEDICAT MELISSVS.

Gnibus ereptos noſtris de quinq; libellis
Imbelles Elegos quos ſupereſſe vides,
Oceani rapidis velut excepturus ab undis
Naufragij tabulas ſume Nitharde meî.
Exiguas cernis; ſed quarum in vertice Pindi
Matres, proceræ brachia, conſtiterant:
Sub quibus in numerum ſolitæ cantare Camœnæ
Non inhonoratis carmina docta modis.
Illa tamen flammis dedit iritata voluntas,
Cujus me fruſtra pœnituiſſe queror.
Vnda rape & rape flamma: mihi quas Francia ſervat
In Muſis nec habet flāma nec unda locum.

P. MELIS-

P. MELISSI SCHEDII FRANCI P. L.

Elegorum fragmenta.

ELEGIDION PRIMVM.

Lta petant alij ſublimes grandibus auſis,
Et cumulẽt magno fœnora multa lucro,
Quos levis ambitio, vel amor gravis urget habendi,
Aut quibus inflato pectore faſtus ineſt:
Me mea ſimplicitas vitæ traducat honeſtæ,
Dum mihi molle favens aura ſecundet iter.
Ipſe canam lenes ſuavi dulcedine cantus
Muſicus, & facili carmina vincta pede,
Nec mors anticipet, ſed grato lucis amatæ
Munere, ſi mereor, me ſinat usque frui.
Nam quodcunq; mihi carmen novus excitat ardor,
Sacratum in laudes perſonat omne Dei;
Et veneror, culti ſeu Vatis amabile donum,
Sive quis a Muſis nomen amicus habet.
Nate Dei, ſemper tibi dedita ſerviat ætas
Quælibet, a templis non aliena tuis;
Solennesq; ſacrum munus ponatur ad aras,
Terreat ah ſontes ne Patris ira reos.
Sic tibi mortali quondam, nunc morte carenti
Cœleſtes animi munera grata ferunt.
Nunc illos citharæ faciles percurrere chordas,
Carmina nunc reſona pangere voce juvat.

Te ſo-

Te ſolum celebrant, meritó cui Muſicus ordo
Supplicat: o felix & bonus eſto tuis.
Iam nequeo ſuperos imitari carmine cœtus,
Nec par aligero protinus eſſe choro:
Sed tenues orſus viridi formare ſub umbra,
Ad liquidas Mœni prætereüntis aquas.
Nec tamen harmonicas pudeat tentaſſe figuras,
Aut Clariam digitis increpuiſſe lyram.
Non pigeat Grajove ſono, dulcesve Latino
Concentus lepidis elicuiſſe modis.
At vos exiguæ critici momiq; Camœnæ
Parcite: nullius criminis ipſa rea eſt.
Hæc ego cœlicolam Patrem placabo quot annis,
Vnigenamq; ſacro plenus Amore, Deüm.
Antè, rudes homines juſta ſine lege canebant,
Menſuræ ratio nulla, nec artis erat:
Sed malè junctarum diſpar confuſio vocum
Abſurdis ferijt pectora murmuribus;
Pugnabant gravibus ſed acuta, & mollia duris,
Sæpeq; diſcordes vox dabat icta ſonos.
Melpomene juſſit certis inflectere voces
Legibus, atq; novum fingere prima melos.
Hæc docuit numeros aptè ſervare decentes;
Melpomene ſancti caſta magiſtra chori.
Hæc eadem Muſis caſtè præcepta canendi
Tradidit, & ſanctos juſſit amare modos.
Obſcœnos vetuit turpes q; per omnia, cantus:
Vſq; adeó puras convenit eſſe deas.
Ah pereat, quicunq; ſacras contaminat aras,
Fœdaq; laſciuis polluit ora ſonis,

Quàm

Quàm potius laude est dignus, qui digna canendo
Cœlitibus, teneris auribus illa probat!
Hunc Charites Veneresq; colunt; huic cantor Apollo
Dulcia subjiciens carmina, dexter adest.
Cernimus, ut sacri quondam sua carmina vates
Congrua maluerint usibus esse bonis.
Terribiles Orpheus tigres, rapidosq; leones
Et sævas placida leniit arte feras:
Scilicet agrestes animos, homines q; feroces
Mollit, & domitis mitia corda dedit.
Amphion blandæ potuit testudinis olim
Dura penetranti saxa movere sono:
Vnde (fide majus) Thebani concita muri
Sponte sua inter se membra coisse ferunt.
Quos non adspiceres lucos sylvasq; sequentes
Insuetos cultæ ponere sede pedes?
Quid loquar Isaiden? quoties a Saule vocatus
Flexanima tetigit fila canora fide,
Illico, qui regem furijs incesserat atris,
Vi citharæ Dæmon cedere jussus abit.
Musica quidquid habet, quidquid divina Poësis,
Acceptum fas est omne referre Deo.
Quàm juvat Aonios cœtus audire canentes,
Pieridumq; choris implicuisse manus;
Aut, teneras quom terra parit fœcundior herbas,
Tranquillum flores, vere tepente, sequi:
Deniq; maturi lethum properantibus annis
Concentus inter nabliaq; ipsa mori.
Hæc mihi contingant. sit avarus & alta requirat
Nomina, cui lucri mente cupido sedet.

Quid

Quid moror? audiri Musas non tædeat ipsas:
Incipite, & molli solvite verba sono.
Cantemus bona verba, pius quæ comprobat usus,
Harmonia numeris conveniente suis.
Neu strepitu quis turbet. amant taciturna Camœnæ:
Quisquis ades, lingua virq; puerq; fave.

AD ORLANDVM LASSVM, MVSIcum excellentiſs.

NOn ita lætanti gaviſus pectore natum
Excipit incolumem poſt duo luſtra pater;
Nec ſic geſtit ovans, exacto errore per undas,
Naufragus in patriam cum redit exul humum;
Tanta nec uxori eſt ſocium evaſiſſe voluptas,
Et ſalvum tutis vivere littoribus:
Quanta ego te viſo percepi gaudia nuper,
Quanta ego colloquijs gaudia Laſſe tuis;
Heic ubi Vindelicos, bifidus Lycus irrigat agros;
Et vetus Auguſti mœnia nomen habent.
Nam quoties (memini) ſparſo rumore, cruentam
Dictus es immerita cæde tuliſſe necem;
Certè equidem dolui vehementer, & ultima mœſtis
In cineres ſalſis juſta dedi lacrymis.
Sed bene habet; ſuperas. tenues abiere per auras
Irrita, quæ propter cor mihi triſte fuit.
Det Deüs, ut longæ decurras tempora vitæ,
Impediant curſus fata nec ulla tuos.
Ante alios vates ut ſunt mihi dulcia cordi
Carmina Lotichij, nectare tincta, mei;
Sic tua præ reliquis penetrant mihi cantica pectus,
Cantica nata homines, nata movere Deüm.

Nil ta-

Nil tamen idcirco, quicunque es, detraho cuiquam,
Musicę sive tibi, sive Poëta tibi.
Quæ bona sunt, laudo. non est tenor omnibus idem:
Ars sua pro merito quemq; decere potest.
Primus inexpertam scrutatus es impiger artem;
Te duce Lasse novum Musica tentat iter:
Artis & ad summum divina peritia venit,
Suaviter harmonicos te modulante sonos.
Es gravis, & plenis aures concentibus imples,
Majestas q; tuis cantibus omnis inest.
Scis bene, quæ faciat lætas symphonia mentes,
Flebilibus q; modis scis bene quá sit opus.
Nunc tardas lento voces procedere tractu,
Nunc celeres numeros currere rite facis;
Et modò sublimis, modò pressior, aptus ad odas
Quaslibet, arguta pectora voce feris,
Mollia seu duris, gravibus vel acuta necesse est
Miscere, & resonos elicere inde modos.
O te felicem, cui munera tanta Camœnæ
Vbertim larga contribuére manu!
O te felicem, dextro cui sidere nasci,
Numine nec lævo vivere contigerit!
Quàm juvat & melli est, ejus meminisse beati
Temporis, o niveüm candide Lasse diem;
Quo dextras, fidei testes, & mutua primùm
Fœdera non vanis junximus auspicijs:
Tunc cum prælustres aulas sequeremur uterque,
Tu ducis Alberti, Cæsaris ipse mei.
Hinc quoties mala lingua, tuo minus æqua labori,
Proscidit indignis carmina sancta modis;

Fortiter

Fortiter ipse tuas ausus defendere Musas
Sæpius asserui teque tuamq; fidem.
Idq; lubens feci, nec posti feciſſe pigebit:
Me penes in tanto eſt Phœbus honore tuus.
Neſcio quo fato cunctos, quibus arte magiſtra
Myſtica Pieridum ſacra coluntur, amem.
Scilicet huic ſtudio teneris ego ſemper ab annis
Iucunda volui deditus eſſe mora.
Hic amor, hoc veterum lenimen dulce laborum eſt;
Hoc mala fortunæ ſolor acerba meæ.
Pectora carminibus, mulcentur cantibus aures:
Fontibus ætherijs utraque vena fluit.
Quod ſupereſt, porrò firmum & durabile ſemper
Sit precor inter nos fœdus amicitiæ.
Queſtibus hæc nullis unquam temeranda manebit
Suavis ad extremos funeris usque dies;
Mutatiq; leves cum jam fuerímus in umbras,
Illa perennis erit, neſcia Laſſe mori.

AD N. CLEMENTEM TRELæum.

DVm vagus externis hoſpes regionibus erro,
Fixus & in nullis heu requieſco locis;
Depereünt anni, viridis mihi carpitur ætas,
Ingenij ſiunt dona minora mei.
Ipſe meæ ſtudium langueſcit ad omne juventæ
Floſculus, & demto pœnè vigore cadit;
Non ſecus ut cultis marceſcit amaracus hortis,
Ponens languidulas, victa calore, comas.

Felix qui potuit, patrij prope fluminis undam
Mæonidum recolens sacra, manere domi.
Non illi Boreas, non horrifer Eurus, & Auster
Turbidus, invadunt flatibus ora suis:
Non illum vis ulla domat, nec sæviter illi
Turpibus e latebris obstrepit hostis atrox:
Sed parvo bene contentus sibi vivit, & ultra
Nil mage, quàm dederit sorsve Deüsve, cupit.
O patrij fontes! o Mæni flumen amœnum!
Quando erit ut vestras cernere detur aquas?
Quando redux, Sali flave, tuis mihi semper amatis
Incolumi sistar corpore limitibus?
Me mea fata trahũt retrahunt q3, sequamur oportet:
Hei mihi, meta procul, quam peto cursor, abest.
Ah quoties cura vigilatas ducere noctes
Cogor, & insomnes abs q3 quiete vices!
Spiritus ah quoties mihi pectore languidus ægro
Surgit, & invitos sæpè traho gemitus;
Singula dum miseræ repetens incommoda vitæ
Anxia mœroris carmina plena cano.
Non animum placidi levat indulgentia cœli,
Aura nec afflatu mulcet amica suo;
Iam neque purpureis, velut ante, meridior hortis;
Formosi nemoris nec levis umbra juvat.
Scilicet immeritos Fortuna tenaciter urges,
Innocuis q3 soles vatibus esse gravis.
Parce precor sacro (si qua est tua gratia) vati;
Parce, nec indigné, quem premis usque preme:
Quid tenera prodest incingere tempora lauro,
Et canere argutis carmen utrum q3 modis?

Quid

Quid juvat, heu, magni sectari Cæsaris aulam;
Deniq; principibus quid placuisse viris?
Num minus idcirco me sors adversa molestat?
Num minus invisas incutit illa minas?
Sed merui forsan. patienter at omnia, quamvis
Ipsa morte cadant asperiora, feram.
Non tamen est animus tantis minor (ecce) periclis:
Eluctor, nec mens fracta labore jacet.
Nunc quoq; non dubitem pro signis stare tuendis,
Thracibus & fortes conseruisse manus.
Me fera bella vocant, vocat acer ad arma Gradivus,
Cæsare pro patrijs arma gerente focis.
Haud metuam dulcem per vulnera ponere vitam,
Si ponenda aliquo vulnere vita mihi est.
Ob patriam sit laus, in aperto occumbere campo;
Mors nec honesta magis, quæ venit, ulla venit.
At tibi, mi Clemens, summos cui laudis honores
Attribuit studijs gloria parta tuis,
Gratulor ex animo. felicia fausta, sunto
Perfungenda novæ mœnera militiæ.
Dignus es ante alios multisq; beatior unus,
Quem decoret celebri pulchra corona loco.
Hanc meruit doctrina, tui meruere labores:
Est aliquid, studij præmia ferre sui.
Ergo tibi volo cuncta fluant in honore secunda:
Me dolor & quamvis cura fatiget edax.
Crede mihi, non, si malè nunc, fortasis & olim
Sic erit. o mihi lux illa beata veni.
Memnonis hanc cœlo genitrix invecta sereno
Quam primùm roseis aurea portet equis:

AD POSTHIVM.

NOn hoc de nihilo est, Posthi, neq; vanus ad auras
Hac toties sparsus rumor in urbe fuit,
Seditione graves orta restare tumultus,
Sævaq; civili bella gerenda manu.
Præcessere mali fera signa, ostentaq; visu
Mira Dei, miris prodigiosa modis;
Latratusq; canum diri sub nocte profunda,
Iraq; & alternæ trux laniena cutis.
Adde etiam, non fallaci temeraria lusu,
Visa priùs nostris somnia luminibus.
Nox erat, & tenebris latitabat Cynthia densis;
Mollibus in stratis me premit alta quies.
At vigil, eventusq; memor, cum lampade viva
Constitit ad lecti clara lucerna pedes.
En trepido vacuas tormenta fragore per umbras,
Mœstaq; terribiles æra dedére sonos;
Aera sub aëreis tigno pendentia celso
Turribus. horrendos incutit umbra metus.
Excitus e somno, vestesque indutus & arma,
Opperior quæ sit rebus habenda fides.
Vix respiraram, fremitu quom férvere magno
Omnia per cunctas visa repentè vias.
Exoritur clamorq; hominum, cædesq; cadentum,
Pugnaq; per plateas aspera, perq; domos.
Qualis ubi tenebris consisus equisq; citatis,
Improvisus adest finibus Hungaricis
Thrax ferus, & captos abigitq; necatq; colonos,
Nudatosq; cremat rustica tecta lares:

Aut

Aut ubi flamma furens diversis partibus urbis,
Sæviter insani flatibus aucta Noti
Invaluit, rapidéq; volans violentior ignis
Arripuit juvenes, arripuitq; senes.
Tum pavidæ circùm matres, timidæq; puellæ
Funesta plangunt pectora nuda manu;
Dilaniantq; comas, lacrymisque per ora profusis
Cœlum luctisonis vocibus omne replent.
Non alia huic rerum, Posthi, fortuna secuta est:
Hic status, hæc Trojæ forma ruentis erat.
Audijt ista Liger, Nymphæ audivere sorores;
Intremuit quassa territa vallis humo.
Audijt, ac viridi muscosus ut extulit antro,
Sicut erant cano tegmina glauca, caput:
Me miserum! nam quos, inquit, sperabimus hostes?
Quæ scelerent ripas castra inimica meas?
Adspiciamne iterum spumante cruore fluentes,
Sacrilegi tinctas sanguine Martis, aquas?
Flecte meos retro cursus pater optime Nereu,
Aut mihi sub terris sicca dehiscat aqua.
Quis furor est, bellum placidæ præferre quieti,
Prœlia nec pacis posthabuisse bonis?
Nec satis est, totis in propria viribus iri
Viscera; nec, civem civis amare necem;
Forsan & externus peregrinis miles ab oris
Conseret hostiles in mea damna manus:
Impacatus Iber, sumtisq; animosior armis
Qui ruit a rigidis Alpibus Helvetiæ.
Heu, quot scuta virûm galeasve, quot insuper hastas
Invitus cernam volvier amne vago!

Aut mihi sub terris aqua, Nereu, sicca dehiscat,
Aut pater hos cursus optime flecte retro.
Siccine fata volunt? sic Dij statuistis? ab omni
Vndique concurrunt agmina densa loco.
Saltem si qua brevi de te sperata venirent
Auxilia indigenis, gens Alemana, meis:
Nam (meministis enim Nymphæ) obsidione soluta
Hæc priùs optatam gens tulit acris opem:
Aequiùs interea clades casusq; meorum,
Mitiùs & ferrem tristia quæq; mala.
Hactenus. & plenos lacrymarum turbidus amnes
Fudit: ei flentes aggemuere deæ.

AD HERMANNVM FOLKERsemium.

Sæpè meam subijt (fateor) miratio mentem,
Nec semel hæc animo nosse cupido fuit:
Vnde forent Hermanne tui, vel mille, profectæ
Corporis & dotes ingenijq; bona;
Pars animi in primis fidi meminisse vel ultro
Lecta, vel attentis auribus hausta priùs.
Quippe tibi certans est indole victus Iberus:
Victori palmam conscia Roma dedit.
Totq; dehinc, facunde, loqui (vernacula præter
Verba) peregrinis tam bene posse modis.
Tu Solymas calles, Græcas, voces q; Latinas,
Quos q; sonos Italus, Celta, Britannus habent.
Quam nec laude caret gentes peragrasse remotas,
Tam remeare domum non sine laude datum est.

Adde

Adde tot eximias junctis virtutibus artes,
Pectoribus sedem quæ posuere tuis.
Gnarus equûm domitor, studioq; peritus equestri,
Teutoniæ pessum non finis ire decus.
Acer adhæc pugiles scis exercere palæstras,
Ritus Olympiaco pulvere qualis erat.
Se neq; contulerit tibi Castor, se neq; Pollux:
Quod duo dividué, scilicet unus habes.
Scis bene quid bello, melius quid pace gerendum;
Nec tibi pax odio est, Martis ut arma colas.
Quin & Abydeno longé felicior, altas
Cogis in obsequium summe natator aquas.
Te quoq; pictorem finxit natura politum:
Ex primis artifici vivida signa manu.
Pingere quæq; manus solers, hæc ipsa canendo
Est testudineüm fingere docta melos.
Audiat hæc vel Demodocus, vel cernat Apelles,
Victus uterq; suis cesserit arbitrijs.
Ipsa geometricis radijs descripsit & orbem,
Quàm sit terra suis lataq; & alta plagis:
Insuper & cœli dimensa volubilis axem,
Sidera non frustra est passa micare polo.
Aptus es ad quidvis, omnes q; paratus in horas
Seria seu potius, sive jocosa velis.
Quid referam, quantum semper, qui castra sequũtur
Musica, tu multo plus adamandus, ames?
Deniq; quàm comis, quàm sis affabilis; & te
Non nisi Pierijs moribus esse juvet?
Cumq; gubernandi seniore virentibus annis
A Duce sit juveni credita cura Ducis;

Christophori Ducis, in patrias quem crescere laudes
Opto, Palatinæ spemq; decusque domus:
Dicendi simul est provincia tradita juris.
Nam leges memori pectore quasque tenes.
Idem te procerum quo non sapientior alter,
Consiliis meritò gaudet adesse suis.
Talia miranti (nec enim jam persequar isthæc
Cuncta, quibus famæ est gloria clara tuæ)
Vranie quæsita mihi multiscia causſam,
Illico respondit talibus Vranie.
Sidera non illum, nec Apollo, nec Attica Pallas,
Numina quæve colit vana superstitio,
Munere donavere suo: sed originis expers
Ille Deûs, sancti quem coluere patres.
Hunc quia Pastorem teneris sibi legit ab annis,
Isaidæ qualem regia Musa canit:
Amne suæ Charitos cœlesti lotus abundè est;
Amne tot ex illo dona perennè fluunt.
Macte tuis igitur virtutibus usque vireſto,
Vtitor & tantis perfruitorque bonis.
Nempe tui nunquam scatebræ Pastoris inárent,
Fontis aqua latices perpetuante suos.
Hactenus utque fuit Domini bona gratia, sic est
Sitque precor vitæ duxque comesque tuæ.

EQVI PROSOPOPOEIA.

SI vacat, intentas aures adverte querelis,
Aemulus humani quas loquar oris equus:
Sic tibi sint salvi, lætoque abdomine pingues
Quadrupedes niteant, bellica cura, tui.

Ille

Ille tuæ fidei genus obsequiosus ad omne
Servitij, o princeps, quod tibi cunque placet;
Ille tui jussu patris hac novus urbe Melissus
Incola, ab Allobrogum jam regione redux:
Quem priùs, Helvetiûm superatis montibus altis,
Ad Rhodanum Nicro salvus ab amne; tuli
Inde per algentis metuenda cacumina Iuræ
Tergore gestavi non leve sospes onus:
Quique dehinc usus me non vectore maligno
Per pluvias, glaciem, saxa, fluenta, nives;
Donec Sequanicum Dubim penetrarit & undas
Rhene tuas, Nicri contigeritque vadum:
Ille tuus vates, inquam, tuus ille Melissus
Post iter, & meriti tot benefacta mei,
Me vænum statuit: sed avena, sed & quia fœnum
Carius hoc vænit tempore, nullus emit.
Nullus emit, quamvis juvenem. quinquennia novi
Sola. color Mauri est, cætera Teutonicus.
Inspicias alvum, brevis est, velut & caput ipsum:
Colla reor longas nigra decere jubas.
Contemplere pedes, solido ferit ungula cornu
Firma solum, rectos conglomeroque gradus.
Luminis ast acies utriusque coruscat, ut ignis;
Vitreüs in tenebris nec mihi visus hebet.
Hic mihi pes nunquam silices offendit ad hirtos,
Nec mea lunato poplite crura labant.
Stultiùs ista loquor. sat erit, quòd quamlibet ater
Sessoris memorer Pegasus esse mei.
Quòd si ego cum Frisijs nolim certare caballis,
Haud ideó culper non equus esse bonus.

Sumtibus at veſtris ſi me commune fovebit
Hoſpitium (ſupplex hoc meiis orat herus)
Cur ego non potius pars in præſepibus imis
Stem poſtrema, tui quá ſtabulantur equi?
Aegra mihi macies alioqui contrahet artus:
Subtrahit infidus pabula juſta famul;
Tempore nec juſto ſitientem ducit aquatum,
Et ſtrigili parcit, ſtramineoq; toro:
Quum tamen interea creſcente pecunia ſumtu
Plurima quotidie connumeranda venit.
Vt taceam, citharæ ne poſſit tendere nervos,
Sarcina ſim domino curaq; quanta meo.
Iſta ſenex genitor, quo munificentior alter
Vix fuit, in præſens hauriat aure ſua:
Hauriat. actutum te dixerit indice credo,
Hæc fuerant dudum ſignificanda mihi.
Si renuis, princeps, ut (donec vendar obeſus)
Conſtituar veſtros ultimus inter equos;
Fac mihi præberi ſaltem, quodcunque neceſſe eſt:
Alterius ſtabuli commodus hoſpes ero.
Hoc quoque ſi renuis, neque vos tam ſeria tangunt
Vota; ſuo meiis hæc jure minatur herus,
Me tibi donatum (licet haud te principe dignus
Sim ſonipes) iri, mancipiove datum.
Sic quem ſponte tua paulùm nutrire negabis,
Ipſe tibi invito ſemper alendus ero.

AD MONTEM REGIVM FRANCONIÆ.

INclyte Francorum veteri Mons nomine regum,
Ardua qui celſum tollis in aſtra caput,

Et

Et Pabepergenæ cilÿs ridentibus urbis
Rura Glycyrrhizæ fœta serenus amas;
Desuper & Bacchi sylvas & flumina Mæni
Libera navigeris prospicis altus aquis:
Mille mihi vicibus salve. non his pudet ortos
Pampineis atavos collibus esse meos.
Gestio lætitia, simul & (quem numina servent)
Silicet ob talem glorior ipse locum:
Glorior; Haspergæ sed cedat gloria genti,
Hospita quæ Musas nutrÿt æqua meas.
Vrbs hæc tota fragrat redolentis flore Lyæi,
Purpureis nitidi veris amœna bonis.
Tale meæ Zephyri precor adspirate Rosinæ
Flamen, odoriferis gratius Assyrÿs;
Mellificas ubi curat apes apiumque quasillos:
Integrat harmonicum dum philomela melos;
Delicium philomela meüm, suavisque voluptas:
Dulcius hac avium guttura nulla sonant.
Fallimur? an sicut regalia vina, palato
Iudice, Rhenano sunt potiora mero,
Baccharicam Bromio quod prælibatur ad aram;
(Absit, ut huic, alÿs par, decus esse negem:)
Sic quoque naturæ tractus hujus ce patentis
Nobilius, superûm munere, numen inest?
Indicio es, referens Hyacinthum flore comanti,
Quæ nihil heic Scythicum, dia Glycea, sapis,
Lentisco folium similis; vescæque rubentes
Hinc siliquas instar lentis & inde geris;
In quibus inclusus pilularum more modoque,
Quas platani generant, fructus apricus hiat.

Indigena

Indigena o ſalve radix, dulciſſima radix;
Cantica tu ſuccis imbue noſtra tuis.
Hoc quoque ſub cœlo, qui regia nomina geſtat,
Inſignem felix protulit aura virum.
Aetheris ille orbes, motuque orientia certo
Diſtinxit fixis ſidera temporibus;
Addidit & leges primamque ab origine cauſſam,
Singula diſcernens ordine ritè ſuo.
Nota Mathematicis, induſtrius arte magiſtra
Quæ monumenta alti liquerit ingenij:
Te neque Roma latent. diri ſed larga veneni
Haud poterat doctum Fraus tolerare caput:
Quod Nepa ſe ſupra circli in regione locatum
Teſtatur partem ſideris eſſe ſui.
Vive anima irradians; vive, & populáris amorem
Ignibus ardentem ſæpius ure tuis:
Virus item vati defende, Latina petenti
Arva, ſacros Tyberis quá lavit unda pedes.
Annue, ſi fas eſt. namque & tibi Cynthia paret,
Nec ſine te celeres Solis aguntur equi.
At tibi Mons, in quo per cornea ſomnia viſa eſt
Virgo futura meis præda Cupidinibus;
In quo fatidicis oracula digna Sibyllis
Sunt mihi non vana certa relata fide:
Quid tibi nunc abiens precer, optime? plurima cultis
Vitea perpetuó germinet uva jugis.
Veſtiat arva Ceres. hortos Pomona venuſtet,
Prata Pales. udam ros riget uber humum.
Neu rapidos nimium Titan ſuperingerat æſtus,
Neu noceant hyemis frigora, neve nives.

Tum

Tum loca pax vicina, tuam pax incolat urbem;
Civibus & dominum sit metuisse Deum:
Mœnibus inque tuis tranquilla per otia vitæ
Floreat Hasperga clara propago domus.
Ac quod præcipuum est; opto, tibi pura sereni
Vox Evangelij semper in aure sonet.

AD C. O.

Esse vides geminas hyemem brumamque sorores;
Altera de glacie, de nive nata prior:
Quæ veluti generant alijs algumque gelumque,
Frigore sic ipsæ nocte dieque rigent.
Vtraque Vulcani calido tamen ardet amore:
Cui ne displiceant, semper alantque faces;
Arboreos viduis (spolij o grave crimen!) amictus
Prorsus Hamadryadum diripiunt humeris.
Faunos & Satyros imploravere puellæ;
At neque fert Satyrus, fert neque Faunus opem.
Pana vocaverunt; sed adiverat Arcadas. orant
Leucadium; claudo sed pede tardus erat.
Auxilium Dryadas poscunt & Oreadas; at se
Territa turba arctis saltibus abdiderat.
Pierides fuerant peregré Charites que profectæ:
Dicta Napæarum nulla fuisse domi.
Nec potis exustas soror utraque reddere vestes,
Quas niger absumsit Mulciber igne fero.
Najadas orassent tales exstinguere flammas;
Talibus in flammis non habet unda locum.
Ac ut habere locum potuisset, ubique gelatus
Concreto Nicri stabat in amne rigor.

Supplice

Supplice reſtabat ſolùm prece flectere Phœbum;
Sed procul illarum vertice Phœbus erat:
Solſtitialis enim Capricorni tergore vectus,
Indeclinatos lentus agebat equos.
Denique confugére focos ad egentis egenæ;
At mea (confiteor) non nimis ara calet.
Si nequeo miſeris quanquam ſuccurrere pronus,
Non tamen ignarus nuncuper eſſe mali.
Tu quoque ſi noſti, conſulte, quid exigat uſus,
Commoda nudatis ne rogo vela neges;
Arida vel ſaltem primùm ſarmenta procures:
Iupiter hoſpitibus propria jura dedit.
Quòd niſi conſilium properes reperire, timendum eſt
Ne necet algentes frigus Hamadryadas.
Pauca recuſaris vivis; dein plurima fruſtrà
Funereo dederis ligna cremanda rogo.
Sic, ut hyems & bruma fuit primaria cauſſa,
Altera tu miſeræ cauſſa ferere necis.

MICHAELI

MICHAELI BERNHARTO MELRICHSTADIO, ABBATI STEPHANAEO.

SVM tibi pollicitus pridem Bernarte sacranda,
Suaviter harmonicis cantica facta sonis;
Ast ea chalcographi remoratur inutile prelū,
Dum riget hyberno frigida bruma gelu.
Si juvat & melli est quod pangimus, hæc mea cursim
Interea miti carmina fronte legas;
Carmina successus patriæ gratantia faustos,
Quæ creat Echterum sorte favente Ducem:
Pieris exsolvet promissum fœnore. nunquam
Franca fides rebus, quas mora tardat, abest;

MELISSVS.

AD IVLIVM ECHTERVM EPISCOPVM VVIRZEPVRGENSEM, FRANCONIÆ DVCEM, Melissi

CARMEN HEROICVM.

AVREA *ſe rerum facies oſtentat Olympo,*
Mitibus exhilarans auris mortalia ſecla,
Eventu ſortita bonum dextrisque tenorem
Auſpicijs: nova jam ſeries, ab origine priſca
Aeterno trutinante vices ac tempora fato,
Francorum in populo gliſcit felicibus orſis:
Iamque novas itidem nobis in carmine vires
Dulciter inſinuat Muſarum maxima Cleio,
Suaviſona recinens fide. Non oracula voti
Præſcia, non avidos ſortis cortina fefellit:
Ter Phœbas præſaga boni commoverat urnam,
Ter rediere ſuos Echteri nomina in orbes,
Gemmea cui ſacro nitidas velaret amictu
Inſula digna comas. huic nunc electio ceſſit
Vnanimis, toto rata per decreta ſenatus
Suffragante choro. Gaude mea Francia gaude,
Lætitijs animum perfuſa recentibus: euge
Francia finitimo contermina limite Suevis,
Clara viris, nec equis obſcura: ſagoque togaque
Inclyta, divitijs pollens atque ubere glebæ:
Ex te progenitos, Divûm ſimiles heroas,

Quæ ſuper aſtra duces, ſuper aſtra extollere reges,
Ac peregrina tuis quiſti ſubmittere fræniſ
Regna, ferens Salicas in Celtica jugera leges;
Nempe tuo Francen de nomine juſſa vocari,
Quá ripas celer illimi pede Sequana lambit.

Mane pater, veterum ſcitiſſime, gnare recentum,
Qui virides Pyrgos, regum loca digna ducumque,
Vitiferos inter colles valles q; beatas
Palmite juge caput ſemper frondente revinctus
Alluis; applauſus hilarè exſultantibus undis
Teſtificare tuos. Novus ilicet, enſe pedoque
Inſignis, dux antiſtes q; ſacrata ſubivit
Templa pio de more, Deo pia vota Iehovæ
Facturus diasq; preces, haud irrita verba;
Iulius Aſcanij referens cognomen Iüli.

Ecce favens cœlo modò lux affulgere viſa eſt
Splendidior, ſolitoq; magis rutilante capillo
Purpureüm fundente diem Sol ipſe cluére
Cernitur, inradians illuſtri lampade pompam;
Solennem pompam, cujus non ultima pars eſt
Neuſtetterus, amor Charitum, cui nomen Eraſmo
Applaudens Erato dedit, omine nomen ab ipſo
Deductum. cujus præcellens artis ab uſu
Innumeræ tantum reliquos natalibus anteit
Dexterior virtus, quantum præcellit Eoos
Pegaſus, Auroræ præpes, candore jugales.

Tales nimirum radios Hyperiona certum eſt
Exertaſſe oculum mundi (mirabile viſu)
Tunc ubi te, CNOERINGE *ſacris addicte Camœnis,*
Ambroſio gemmans nitidiſſima mitra decóre

(Dignus enim fueras) Suevis amiciret in oris.
Tu quoq; lætus ades vultu NITHARDE *sereno;*
Os Phœbo similis, fronte adspectabilis alta,
Sanguine THVNGENO *quẽ nobilis edidit ortus;*
Præcipuos cui summa gradus sapientia dudum
Destinat, & dominam terrarum mittit in urbem,
Conscia Romuleos tripodas responsa petitum.
Sed THEODORVS *abest* HVTTENÆ *gloria gentis;*
Carmina cui Schediæ quondam placuere Thaleiæ;
Cuiq; suis mea perlecebris delenijt aures
Melpomene varijs decantatissima linguis.
Nostetat hic Princeps omni memorabilis ævo
Iulius, ad sanctas obstipé cernuus aras
In cœtu populi & procerum stipante corona
Stratus humi, geminasq; manus ad sidera tendens;
Cive super bona multa precans, bona multa colono;
Præcipué rogat (a recto ne devius erret,
Tractus in ambages intricatos ve recessus)
A patre delapsum mittentis munere gnati
Aetheria de sede dari spirabile numen;
Cujus ab instinctu rectè gladium q; pedum q;
Vsurpanda gerat. fontes ut puniat illo;
Vindicet innocuos, Princeps ad utrum q; paratus;
Vt regat hoc, ceu pastor, oves ovium q; magistros.
Novit enim liquidó q; videt, ni Spiritus ille
Sit præstó, ni consilium sapiente gubernet
Numine; tum rerum labefactò cardine pessum
Quælibet ire, graves q; simul fatale ruinas
Attrahere exitium: ceu tempestate coorta
Immenso in pelago, quom lenior aura repressa est;

Africus

Africus adversis Eurusque Notusque procellis
Præcipitem certant mersare sub æquora pinum.
Quale freto navis, tale est respublica terris:
Quippe capessendam stimulante cupidine cæco
Sive furore magis dominandi prorsus avere,
Atque putare levis momenti rem fore; non id
Desipere est? At quandoquidem, clarissime præsul,
Hanc tibi sub justa meritò ditione regundam
Cœlicolûm rector placidus dedit; illius ergo
Diditur in varios animi mens anxia sensus,
Officione desit iners. nam providus omnem
Iuris ad exacti normas expendere causam,
Ponderis huic ne plus tribuatur, neu minus illi,
Tanquam lance pari casus examinat æquos;
Iustitiæ fideique tenax, & amore nocendi
Partibus addictus neutris. hinc recta jubendo
Munia, res veras prudens discernere falsis
(Nempe timore Dei perculsus pectora) censor
Ius dat utrinq; citra respectum sive potentum
Sive inopum; viduas miserari promtus egenas;
Pupillosque juvare sagax. Ante omnia verò
O lux Franconiæ vigili tu mente videndo
Dispicis, ut solidæ studium pietatis & usus
Legitimus sano revocetur in integra cultu;
Primævi graphiy quem ritibus antiquatis
Fœda superstitio tetris corruperat ausis:
Cunctaque præterea fieri quæ fasq; piumque
Postulat, instaurare alacri moderamine gestiit
Fervidus; ætherio mentem succensus amore.
Plurimus at pellem simulatè indutus ovillam

Est lupus, insidias rimatus ovilia circùm:
Multus item vastare ferox leo septa bidentum
Circuit, & pando rictus diducit hiatu.
Ense ferire lupos, hos ense ferire leones
Addecet, aut procul hinc domitore fugare bacillo;
Ne sua ruricolis deperdita caula fatiscat
Spes teneræ subolis, seclo asservanda futuro.
O fortunatam te principe Francida terram!
Iam tribulis lolioque venenatisque cicutis
Pestibus & reliquis præacuta falce resectis,
Semina purgatos spargendo munda per agros
Sufficient alimenta gregi secura coloni.
Puriter aureolis iterum labentibus annis
Ecquis honoratis te, Dux, non laudibus auctum
Prædicet? ecquisnam decus hoc insigne tacendo
Prætereat? sub te nostra in regione renati
Florebunt cives, & læta pace vigescent
Oppidaque pagique, & in altis montibus arces:
Qualiter in Libani nemoroso vertice palmas
Enodesve cedros aut coniferas cyparissos
Et teneras laurus apprimà virescere fama est.
Ex in vernabunt & ovanti gutture vates
Dulcisonum Pæana canent: tibi carmina dicet,
Quidquid olorinæ præstat dulcedine vocis:
Delicium Phœbi Dinnerus, idoneüs autor
Carminis, & juris legumq; peritus earum,
Quas Themis Ausonio, quas Grajo vindicat ore,
Cæsaribus non passa suos lentescere fasces:
Cumque Rudingero niveo tu candide Posthi
Pegasidum cultor solers, alterque Machaon,

Blandi-

Blanditer arguta resonabis arundine chordas:
Hos inter (prolectat enim natale poëtam
Multimodis gremium) fors me quoque rure paterno
Frondibus aut ramos pangentem, aut dia ferentem
Gaudia pampineos vegetæ propaginis arcus,
Aut vagatinnitu plenis examina ceris
Lætus in alveolos cogentem viderit hortus;
Sive Salæripis, Mæni seu propter amœni
Flumina, seu riguus se fert ubi Tubarus undis.
Post varios sané casus vitæque viæque
Conveniet metas gravium posuisse laborum,
Privoque indormire toro, requeque potiri.
Illic si patieris (amor patriæque tuique
Carmine fœcundum faciet facietq; disertum)
Mascula Daphnæis redimitus tempora sertis
Ipse tuas laudes tuaque inclyta facta canendo,
A proavis atavisque trahens exordia prima,
Stemma tuũ, o princeps, dehinc immortale futurum
Aeternis intexam ederis, vivisque corymbis;
Queis cum perpetuos cernent id crescere in annos
Germinaque segetesque & odoris caulibus herbæ,
Purpureos donec flores ver educat, & quá
Sol oriens terris, & quá micat occiduus Sol.
Indecor haud fuero, nec erit tibi nostra pudori
Laurea, qua Cæsar mihi Ferdinandus honorum
Esse caput voluit, titulosque benignus equestres
Ferre dedit, pretium non vile laboris, inemtos.
Haud me vana loqui, testes duo sunto loquenti
Acer SENSEMIVS, *quo non præstantior alter*
(Mars ubi proritet creperi discrimina belli)

Franconiæ fines validis tutarier armis;
Zobellusque equitum decus, Aonidumque patronus.
Scilicet hac propter nec erunt tibi noſtra pudori
Lilia cum Cygno, clypei geſtamina noſtri.
Hactenus ingreſſa eſt Cleio ſublime theatrum,
Præſcriptos q; gradus metuens tranſcendere, greſſum
Flectit, & exodio tibi plurima fauſta precatur,
Iuli Pindaricis cœlo extollende quadrigis;
Municipisque tui, tanto qui primus honori
Gratulor, acceptum gratumque poëma ſit, optat.

MELISSI

SYMMICTA

SIVE MISCEL-

LA.

I 4 THO-

THOMAE REDIGERO MISCELLA SVA DEDICAT MELISSVS.

Orvus olorq; simul certent modulamine vocis;
Victus erit corvus, victor honorus olor.
Marsya cũ Phœbo nunquã contendere sumat:
Tentet Apollineas Panos arundo fides?
Simus et intantũ stolidi, ut quę judice Tmolo
Sunt rata, judicio stent variata Midæ?
Heic mihi nullus adest Mida, Marsya, Panve coraxve:
Vlla tibi, Rediger, tædia nemo feret.
Phœbos esse reor, cygnos reor esse poëtas,
Nomen amicitiæ quot tribuére meæ.
Cessero luminib. Phœbꝫ, vociq; cygnorum:
Candor at hic neutris cedere velle potest.

PAVLI.

PAVLI MELISSI SCHEDII GERMANOFRANCI, POETAE LAVREATI,

Symmicta ſive Miſcella.

AD FRANCISCVM PORTVM CRETENSEM.

SVave mihi quondã cupida ꝓfitẽtis Homerũ
Vinſemij placitos aure bibiſſe ſonos.
Suave quoque & Portum nunc auſcultare legentem
Aurea divini carmina Mæonidæ.
Suavius at multo eſt, quòd melle fluentia dulci
Ora ſenis Pylij candide Porte refers.
Quid loquar? o Pylios tibi det modò Iupiter annos,
Emoriar, niſi tu jam mihi Neſtor eris.

Εἰς παῦλον τὸν μέλισσον.

Εἴθέ μοι ἐυχομένῳ εἴη μελίγηρυ μέλισσε
τόνδ' ἔμεν, ὅν ῥα τεὴ φήμισε Καλλιόπη.
Νῦν δ' ἐμὲ, φεῦ, χαλεπὸν κατατρύχει γήραος ἄχθος
μνημοσύνας κούραις μάκρ' ἀθεριζόμενον
Νέστορα, ἢ τιθωνὸν. ἀτὰρ σύγε πιερίσι ξὺν
παίζεις, καὶ καλῷ καλὸς ἀκερσεκόμῃ
Ζηλωτὸς πάντεσ' ὅτι νέκταρος ἔμπλεος ἤδη
κρείττων εἶ πολιῶν, καὶ κρυεροῦ θανάτου.

Φραγκίσκος ὁ πόρτος.

AD EVNDEM PORTVM.

SI quid, Porte, volubili rotarum
Vagantem orbe deam foret rogandum,
Cujus nos duo compotes futuros
Iurarent tripodes Apollinares,
Sponderent & idem novem Sibyllæ,
Sortes Deiphobeq; comprobaret:
Dic sodes, age dic, quidipse, quidnam
Fortunam peteres? ego hercle nolim
Nec Cæsar fieri, nec Imperator,
Nec rex Hesperiæve Galliæve,
Nec Tusci dominus maris solive.
Romanus neq; pontifex creari
Optarim stolidé, minusq; multo
Persarum satrapes velim saluter,
Nec non nescio quid. Quid ergo tandem
(Inquis) vel fieri vel esse malis?
Nil te celo. poëta musicusque:
At non optimus omnium poëta,
Vt nec pessimus omnium melodus;
Sed saltem (nisi me vetes profari)
Dulcis musicus, & poëta suavis.

FR. PORTI RESPONSVM.

MEllite, optime Musice & poëta,
Quid votis superos tuis fatigas,
Vt sis musicus & poëta dulcis?
Atqui es: hoc mihi crede, crede cunctis
Qui legunt tua carmina, & stupescunt,

Quive

Quive ab ore canentis usque pendent,
Quare desine Paule, nec fatiga
Phœbum, cætera numina & deorum;
Et bonis fruitor tuis quietus,
Contentusq; tua beate sorte
Mellite, optime musice & poëta.

GEORGIVS AVERLIVS
Ad P. Melissum poëtam laureatum.

REdde mihi numeros, dicebam, redde Meliſſe
Egelidis animum ſenſibus & genium;
Inſere meq; tuis adytis temploq; ſororum:
Sic eris æternum magnus Apollo mihi,
Deſine velle, pudor monet; A præſepibus arcet
Ignavum fucos iſta MELISSA *pecus.*

MELISSI RESPONSVM.

RECtè equidem. nam ceu ſine fuco noſcor amicis,
Alveolis fucos ſic mea pellit apis.
In te fucati nihil eſt: ſed gnaviter auctas
Verus Ariſtæo melle COLONVS *opes.*
Cumq; deïs æquent te cedrina templa dearum,
In ceris Genius cur avet eſſe meis?

HIERONYMÓ VVOLFIO ET Simoni Fabricio Franco.

NOn ego nunc apium ſum cuſpide fixus acuta,
Nec mea depaſcens corpora morbus habet;

Debita

Debita Cæsarea neq; me remorantur in aula
Munia, non studijs Musa severa suis:
Quòd nequeo conviva epulis accumbere vestris,
Hænzelijq; frui dulcibus alloquijs.
Ora sed heu carpentis iter mea ventus adusit
Frigidus, algenti qui vel ab Alpe venit,
Qui vel Hyperboreis sævùm bacchatur ab oris:
Ambiguum, sit utri culpa ferenda reo.
Hoc certum est, acri nimis intumefacta rigore
Hirta mihi duro cortice labra tegi.
O si aliquo Phœbus succo vel mitibus herbis,
Quam memini puero ferre, tulisset opem;
Non ego colloquijs vestris dapibusq; carerem.
Hoc est, quòd solo cum Lare tristis ago.

H. VVOLFIVS JOCOSÈ RESPONDET.

TE nec apis pupugit; Boreæ neq; frigus adusit;
Vulnera nec Bacchi fecerit ista liquor.
Vnde igitur tumor oris, & hulceris ardor iniqui?
Paule tibi hoc xenium Sueva puella dedit.
Parthenopipa cave; roseo latet anguis in ore:
Ne graviora feras, Parthenopipa cave.
Non tamen idcirco dulces vitabis amicos,
Quos tuus adspectus colloquiumq; juvat.
Spicula cui non fixit apis, sed tela Cupido;
Paule mihi salve, Paule Melisse vale.

AD

AD LAVRENTIVM DYRNHOferum Noribergenſem, virum ornatiſs. Anno 1565.

CVi quæſo lepidas, pias, venuſtas
Cui donat mea Muſa cantiones,
Expreſsis modò jam typis novatas?
LAVRENTI, *tibi. Namq; muſicorum*
Et gaudes ſtudioſus eſſe vatum:
Quin jam tum quoq; floridis ab annis
Luſus eſſe aliquid meos putaſti,
Nondum cum tibi cognitus fuiſſem,
Nec cantus gel da meos ſub Arcto
Applaudens pater Albis audÿſſet;
Albis lætus amabili canoros
Paſsim flumine nutriens olores.
Quare quidquid id eſt melodiarum
Noſtri pignus habe tenax amoris,
Qui longo maneat perennis ævo:
Ac quod Symbolon e ſacris petitum
Vſurpare ſoles, ubique & usque
Votis eveniat tuis precamur.
Sic conſors ego particepsque voti
Vnam, quam petÿ Deüm, requiram:
Qua ſi non potiar, mori neceſſe eſt.

L. DYRN-

L. DYRNHOFER

P. MELISSO SCHEDIO, P. laureato & Musico suavis.

SCHEDI, *Symbolon e sacris receptum*
Vti quo soleo libris, ubique
Votis eveniat meis, precaris.
Sic consors ego debitorq; voti,
Vnum quod petij Deum requiram;
In sancta Domini domo beatus
Vt vivam innumerabiles per annos;
Vt dulci liceat frui quiete
Inter delicias sacras latenti,
Impollutaq; templa visitanti
Puro corde Dei vacare verbo.
Sub tentoria namq; tuta ductum
Me cura Dominus fovet benigna:
Duris tempora dura quum periclis
Afflictum & premerent dies maligni;
Texit solicitæ manus sub umbra,
Curâq; occuluit Deus fideli:
Excelsum statuit, suæque firmos
In Petræ excubijs pedes locavit.
Hoc unum petij Deum, hoc requiram;
Quo si perfruar, haud mori necesse est:

NICO-

NICOLAVS REVSNERVS LEORINUS P. Melisso in Galliam profecturo.

Quænam te fortuna mihi, quod sidus iniquum
Invidet, o animi pars quota Paule mei?
Quis mea, quis tua vota moratur? simus ut una
Quæ mihi quæ tantum, quæ tibi culpa nocet?
Paule novenarum lux admiranda sororum;
Nil me, nil equidem te meruisse reor.
Te Deus ire jubet: superis cedamus oportet:
Fortiter est aliquid tristia posse pati.
Scilicet interdum miscentur tristia lætis:
Difficili pulsa mollior aura venit.
I amor, i noster; felicibus utere fatis:
I sospes; Pylios & mihi vive dies.
Vive mei memor, & constanter dilige amicum:
Munera, si modò me diligis, ampla fero.
Sim maneamque tuus, meus es velut atque manebis:
Me tibi perpetuus, te mihi servet amor.
Fidus ero, dices; nec amoris tædia cœpti
Vlla feram, mea dum spiritus ossa reget.
Tu quoque (si bene te novi) me semper amabis;
Oblitus poteris nec semel esse mei.
Audiet, & nostros mirabitur Ister amores;
Vestraque me tellus audiet esse tuum.
Quod restat, superi faxint, ut tempore primo
Te mihi lux reddat candida, meque tibi.

N. REV-

N. REVSNERO LEORINO.

Quæ tu vota Elegis tuis tenellis
Pro me regna vetusta Galliarum
Visuro facis; illa nos vicissim
Istis hendecasyllabis minutis
Pro te nunc patrios lares petente
Grati concipimus. Sit o sit opto
Voti compos uterque, uterque sospes
Lætos deveniat locos. At heu quàm
Longis nos, Leorine, separabunt
Intervalla procul procul remoti
Soli tractibus, invidisq; metis!
Alter forsan & alterum (quod omen
Avertant superi) videre porrò
Haud quibit: veteris tamen sodalis
Sodalem reminiscier juvabit,
Quibuscumq; feretur exuloris.
Tu verò Leorine, cui licebit
Montes ad patrios volare tuto;
Seu facturus ad hospitas Elystri
Nymphas, sive iter hinc ad Albis undas;
Amanter Camerarium salutes
Oro, Fabriciumq; Chemnicensem,
Peucerique domum, domumq; totam
Esromi, & niveis comis Eberum,
Nec non Vinsemium, senem jocosum;
Majoremq; meüm, optimum poëtam,
Atq; omnes reliquos bonos amicos.
Vivant & valeant diu, precerus,
Aeternum memores sui Melissi.

AD

AD FR. PORTVM CRETENSEM.

CErnis ut æquales ætate, pares q3 juventa,
Pectora consensu juncta sequace gerant.
Cum pueris pueri sociantur, ephebus ephebo;
Virq3 viro gaudet, cura senecta senum est.
Ast ego non tanti reputo mihi Porte coævos,
Quin ultro malim te similes q3 tui.
Hinc quia naturæ calles arcana latentis,
Scisq3 rei causas cuiq3 referre suas;
Vtpote longævo studijs edoctus ab usu,
Cui Sophiæ pandit Graja Camœna libros:
Dic age cur, juvenis quum sim florentibus annis,
Semper amem canis junctior esse viris?

PORTI RESPONSVM.

Εἰς παῦλον μέλιασον τὸν σχέδιον ἐρωτῶντα δι' ἐτῶν διὰ τί νέος ἀυτὸς ὢν ὅμως τῇ τῶν γερόντων ὁμιλίᾳ τέρπεται.

Οὐ χρεὼ ὀιδιπόδαο. τὸ γὰρ χαίρῃς μελίγηρυ
Παῦλε γέρουσ' ὁμιλῶν τοῖς πολιοχροτάφοις,
Οὕνεκ' αἰζηὸς τελέθων πολιαῖς φρεσὶν ἔξοχα λάμπῃς.
Παύεο νῦν ζητῶν, τέρπεο σοῖς δ' ἀγαθοῖς.

H. STEPHANVS

AD P. MELISSVM, E PAGO QVOdam proximo ei in quo ille degebat.

SVm convivator tibi vel conviva futurus.
Optio (quid rides?) ista futura tua est.

Verùm ego si fuerim tibi convivator, habebis
Vrbanas in agro Paule Melisse dapes.
Si non rusticus es, tua fercula ruris alumna
Vrbanis minimé præposuisse velis.

MELISSI RESPONSVM EXtemporale.

SEu conviva mihi es, seu convivator; amicos
Mensa pari victu nutriet una duos.
Si convivator, fuero tuus hospes in urbe:
Conviva es? ruri tu meus hospes eris.
Vtq; ego deliciás urbis non respuo lautæ,
Sic neq; tu spernes ruris egentis opes.

H. STEPHANVS
Ad eundem P. Melissum, ex eodem pago, postridie.

QVòd pervicit heri partes tua mensa priores,
Mene putas victas jam dare velle manus?
Non impune feres. nam me victoria major,
Te præfracti animi pœna Melisse manet.
Nam quæ condixi, non sunt mea prandia, Paule:
Nec conviva mihi, sed comes esse potes.
Nonne dabis pœnas? sum corpus pransus apud te,
Tu cogéris ad has umbra sedere dapes.

RESPONS. MELISSI.

QVas mihi præfracto pœnas Henrice minaris,
Hæ neque causa famis sunt, neq; causa sitis.

Pone

Pone tamen, jussam me ferre famemve sitimve;
In me quam statuis, pœna luenda venit.
Hanc si sponte mea subeo, non antè coactus;
Dic age, dic, nostri quomodo victor eris?
Aut si non ultro tecum, sed ritè vocatus
Vivo; quid immeritó nominor umbra tibi?

IO. IAC. BOISSARTVS
Ad P. Melissum Francum, de sua Carduele perdita.

Mecum plange Melisse, plange mecum:
Foras fugit Acanthis, illa Acanthis
Fugit, proh dolor! evolavit illa
Tam dilecta mihi priùs volucris.
Ah, ah! jam miseri caremus illo
Cantu, qui solitus suäviore
Musas gutture recreare fessas.
Mecum plange Melisse, plange mecum.
Cœtus gaudia delicata nostri,
Nostræ deliciæ canora Acanthis
Noti deseruit cubile tecti:
Quæ si passa aliquam esuritionem,
Alis mœsta volabat explicatis,
Pennarumq; agitatione crebra
Semen ferre papaveris rogabat;
Et dextra domini cibum capessens,
Potum blandula largientis ore
Poscebat, liquidam bibens salivam:
Et rostro mihi vellicabat unco

Aures, non secus ac datura mollem
Hymnum, quo mihi gratias referret.
Mecum plange Meliſſe, plange mecum.
Ah, quot blanditijs, quot illa quondam
Conata eſt animum labore merſum
Demulcere ſonis! tamen relicto
Vicinum domino nemus petivit.
Mecum plange Meliſſe, plange mecum.
Non, non fugit: amore tam fideli
Dilexit dominum, ut nec ipſa vellet
Inſervire deïs, poloq; ferri
Noſtræ poſthabito favore curæ.
Mecum plange Meliſſe, plange mecum.
Sed tu rapta mihi es; tenéris arcta
Infelix cavea, reverſione
Quæ te nunc prohibet. Sed heus, dolentem
Qui per vim retines, jube reverti
Dimiſſam ad dominum (rogo) priorem;
Vel qua parte domus tuæ ſit illa
Nobis ſignifica: videbo ſaltem
Mœſtam quotidianus, & gementem
Conſolabor, & auferam dolorem.
At tu, dum redeat miſella, quæſo
Mecum plange Meliſſe, plange mecum.

MELISSVS BOISSARTO.

IActuram malè fers inauſpicatam
Cantatricis Acanthidos puſillæ,
Commœrere jubens tuum ſodalem.
Cauſas hercle dolere iuſtiores

Infelix

Infelix habeo, Iacobe, quàm tu:
Vt dicas potius gemens querensq;,
Tecum plango, Meliſſe, plango tecum.
Dum ſuccurro pius ſtipem roganti,
Elapſa eſt manibus meïs volúcris,
Tuas quæ vel Acanthidas trecentas
Imò millia multa avicularum
Quibat vincere, ſi quis æſtimarit
Amiſſæ pretium meæ tuæque.
At non ſemine ſive rapulorum
Cannabisq;, papaverisq;, ſive
Cibo, quem ſolet eſitare pennis
Veſtitum genus, indigebat illa:
Sed (ut Struthio concoquens metallum)
Argento ſatura aureïsque nummis
Et gemmis erat, annuloque pulchro
Exornata. nec arte cantitabat
Muſica, modulans ſonante roſtro;
Sed pleno quoties hiaret ore,
Tinnitus (memini ah nimis nimisq;)
Edebat ſonitu reverberante,
Quales cymbala, ſiſtra, vel ſonoris
Tintinnabula motitata palmis.
Præceſſere mali quidem futuri
Diris ominibus ſiniſtra ſigna:
Sed præſagia mens nequivit iſta
Internoſcere, non docente fato.
Magno conſtitit hæc avis (fatendum eſt)
Claris Argyriæ creata terris.
Dic Boiſſarte iterum dolens gemensq;,

Tecum plango, Meliſſe, plango tecum.
Natura alitis hujus atq; nomen
Geſnerum quoq; cæteros q; fugit,
Qui pinxere avibus libros: & ipſa
Hæc (docto licet) inſula Straboni eſt
Ignotiſſima. ſed quid involucris
Agam? Stellio, ſeu via repertam
Publica malefidus involaſti,
Sive Aegyptiacis (quod hercle credo)
Suffuratus es artibus, dolosé
Vah intercipiens meam crumenam:
Illam ni properans hero remittis,
Vltrices lue quas merere pœnas,
Diris a furialibus redactus
Ad extrema nocens acerbitatum.
Tu verò miſerate noſtra damna,
Dic Boiſſarte noviſſimé quiritans,
Tecum plango, Meliſſe, plango tecum.

AD LAVRENT. DYRNHOFERVM.

Re quid inexperta veteranum, callide, dicis
Me, tiro qui nunquam fui?
Excipe militiam tamen Aonidum q; ſororum
Et bella Martis aſperi.
Quòd parit infantes uxor tibi cara gemellos,
Hoc te virum præſtas ſemel.
Bis geminos potuit mea partus edere mater,
Bis præſtitit pater virum.
Ter tibi, Laurenti, priùs hi ſuperentur oportet,
Quàm dem triumphi gloriam.

Interea

Interea ſolers operam fac demus uterque,
Ego libris, tu liberis.

RESPONS. DYRNHOFERI.

BIs geminos potuit conjux prior edere fœtus,
Nunc tertio Schedi virum me præſtiti.
Ergo tuos a me victos fateare parentes,
Mihiq; oportet des triumphi gloriam.

C. VTENHOVIO C. F.

CArole, conſpicuum quem lucida noctis imago
Ter mihi per ſomni præbuit effigiem,
Quem ter in amplexus & in oſcula molle fluentem,
Comiter & fantem cernere viſus eram;
Siccine te coram contempler? ut optimus ille eſt,
Quem referunt animo ſomnia blanda meo!
Se quoq; tangendam roſei Pallantias oris,
Clara Meliſſéa voce futura, dedit;
Viſa libens, patriæ ritu, ſuaviſſima rerum
Dulce ſalutato figere baſiolum.
Cuncta quidem jucunda, ſed hoc jucundius eſto,
Candidus ante omnes eſſe quòd unus amas.

VTENHOVIVS RESPONDET.

TE quoq; præſentem mihi noctis imago beatæ
Corde ſoporato nec ſemel exhibuit.
Me tibi præbuerim quòd opaca nocte videndum,
Res eſt augurij plena Meliſſe boni.
Me tibi quòd dederim ter eádem nocte fruendum,
Scilicet augurij res melioris erat.

Se tibi tangendam roſeï Pallantias oris
Quòd dederit, labris ſuaviolumq; tuis;
Eſſe quid hoc dicam? quod nomen in omine ponam?
Optima, ſi neſcis, omen id ales erit.
Baſia virgineis libaſſe pudica labellis,
Memnonis eſt aliquid quod tibi mater alit;
Oſcula quod cupido non tantùm figat amanti.
Dij faciant, Elegos pondus habere meos.

EIDEM VTENHOVIO.

NEmo niſi ſculptor, nemo niſi pictor, uterque
Artificum ſolers vincere quasq; manus,
Buxo ficta meæ conſpexit imaginis ora,
His dandæ ſolùm quos amo, queis & amor.
Inter eos, Muſis & Apolline doctior ipſo,
Quandoquidem primas Carole care tenes,
Pictor & es ſculptorq; animi mentisq; Meliſſi
Primus, habens paucos mente animoq; pares;
Hinc & amicorum te præter, Carole, nemo
Debuit effigiem primus habere meam.

RESPONSVM VTENHOVII.

PRimus amicitiæ tecum qui fœdus inivit,
Effigiem meruit primus habere tuam.
Nec mihi tu, niſi te, potuiſti gratius ullum
Mittere ſinceræ pignus amicitiæ;
Non mihi ſi pateras auro gemmisq; nitentes,
Mellaq; miſiſſes cuncta, favosq; & apes.
Candidus eſt ingens homini theſaurus amicus,
Artibus hunc norit qui retinere bonis.

Fallor,

Fallor, an integri pectus candoris amicum
Quamlibet immensas præterit orbis opes?

IOHANNA PALLANTIAS P. MELISSO viro clariss.

SCandere quæ condis tantummodò carmina novi,
Et mala de Latijs Gallica formo bonis.
Condere quum nequeã tibi carmina, carmina pingo, pangere
Condidit Vtenhovus quæ tibi Paule tuus: pepigit
Proq; tuis grates tantas ago versibus illis,
Quàm scio me indignam laudibus esse meïs.

MELISSI RESPONS.

LAude quidẽ digna es, nullas sed nostra merentur
Grates, parca nimis laudibus ora tuis.
Perge Iohanna duas pluresve edisce re linguas;
Te Musæ & Charites, te chorus omnis amat.
Versibus ecce tuis gemina est jam texta corolla,
Myrtea Romuleïs, laurea Franciacis.

SONET
De P. E. à Paul de Melisse.

PVis qu' Amour est aveugle, indiscret & volage,
Et enfant foible-fort, n' ayant aucun souci,
Si non, fort impiteus, de rendre tout transi
Vn cœur, dés qu' une fois il lui a fait hommage:
De sauteler, joyeus, en voyant son dommage,
De rire en sa douleur, sans en prendre merci,
A ses soupirs cuisans se montrer endurci;

Bref exercer sur lui son indontable rage:
Meliſſe ſois certain, què ſous tel Capiteine
Tres fidele ſoldat une vie je meine,
Qui reſpond de fort pres à ſes complexions.
Il faut, puis què je ſuis à ſon humble ſervice,
Què tout ce qu' il voudra humblement je cheriſſe,
Et regle à ſon vouloir toutes mes actions.

SONET

De P. de Meliſſe à P. E.

LE chef, ſous qui ſoldat marchant tu tires gage,
Tant les mains què les pies eſclaves te retiēt,
Ton cors & ton eſprit captivement detient,
Et bourelle ton cœur en ce rude ſervage.
Celui que vas ſervant à ton propre dommage,
Ennemi capital laſchement te devient:
Tu le penſes ami; mais ſi bien m' en ſouvient,
L'Amour eſt plus cruel qu'un barbare & ſauvage.
Chaſſe donc ſans delai ce nubileus ombrage,
Et deſſillant tes yeus, ote leur ce bandeau;
Puis delace ton col d' un ſi ſerré lien:
Car autrement, Enoc, ce noir eſpais nuage
Croiſſant t' aveuglera, & puis n' auras couteau
Aſſes fort pour trancher ce laſsis Gordien.

ID EST, INTERPRETE MELISSO.

BEllica quo ductore meres ſtipendia miles,
Tam tibi Petre manus, quàm ligat ille pedes:
Captivumq,

Captivumq; animum pariter cum corpore sistit,
Carnifice excrucians pectus amaritie.
Cui servis, inimicus adest capitalis. amicum
Rere; sed est plus quàm barbarus hostis Amor,
Temporiùs gracili tibi cæcultantia nube
Vela soporatis excute luminibus:
Prima levis pueri tibi vincla parantis, Enoce,
Fortiter abrupto subtrahe colla jugo.
Ni facias; oculis prorsum caligine mersis
Haud erit ut gladio Gordia lora seces.

FR. PORTO CRETENSI.

Maturos avidus legit racemos
Heic vindemitor, uberique plena
Fervent musta lacu: quid occupatus
Rerum tu geris? ut vales? satisne
Lætos incolumi dies senecta
Istic exigis? id quidem precamur,
Aevi quod superest agas quietus.
Ad me, Porte, quod attinet meos q;,
Valetudine nos bona (quod ultra
Fortunent superi) scias fruisci.
Ob contagia sæva pestilentis
Evitanda luis, repente cœlum
Nos mutare necessitas coëgit,
Te, doctissime, non valere jusso:
Pro quo crimine, proq; diluendo
Hoc errore, trecenties salutat
Græcam nostra tuam Camœna Musam
Istis hendecasyllabis Latinis.

PORTVS

PORTVS RESPONDET.

TV doctißime, tu potes Meliſſe
Carmen pangere, cum lubet, Latinum;
Sive dulcia muſta cum racemis
Lætis ruſticus exprimit, Minervam
Quæ inducant varijs modis jocari;
Sive cum Zephyrus refert honores
Vernos, flava Ceres ve frugum acervos.
Tu namq; Aonidum pius poëta
Fers ſacra, & redimitus usq; lauro
Canis carmina, quæ novem ſorores,
Mirantur tacitæ, bonusq; Apollo:
At nos, quîs nemora ad beata nullus
Parnaſi eſt aditus, ſacrosq; fontes,
Conamur miſeri dies & annos;
Sed fruſtra ingenium recuſat, ætas
Et domeſtica cura, publicumque
Munus. quare age docte, tu Latina
Pange carmina, qui potes Meliſſe;
Atq; ad nos redeas; lues abivit.

Sexto Id. Nouemb. M. D. LXVIII.

AD SEBAST. SCHEFFERVM.

AFfore debueras heſterna nocte Meliſſo,
Riſiſſes, niſi te diſcoquit angor edax.
Alloquio quidam me nominitavit Vlyſſem
Muſicus; haud ſtudio, voce ſed error erat.
At meritó. totidem miſeré jam perdimus annos,
Quot gener Icarij Marte mariq; vago.

Sum

Sum, Scheffere; tamen longè felicior illo,
Me quia Penelope non manet ulla domi.

SCHEFFERVS AD MELISSVM.

HVnc, errore bono qui te vocitavit Vlyſſem,
Non erraſſe meo dicere jure potes.
Æquat enim penitus, me teſte, Meliſſus Vlyſſem;
Vnus adhuc vafer eſt, callidus alter erat.
Vox animi ſolùm non eſt, qua prodimur, index;
Hunc oculus, mentis certa feneſtra, notat.
Si quem caſta beat, veluti beat, uxor amantem;
Tu miſer es, felix ter quater ille fuit.

AD EVNDEM SCHEFFERVM.

COnjuge vir ducta, Scheffere, miſerrimus exſtat,
Nec quisquis ſcierit cœlibe pace frui.
Quin plus quàm miſeros, conjux ubi cogitur a liter
Quatuor alterius luſtra carere, vocas?
Sed quàm non Ithacus, non Icariis illa beati,
Tam didici felix hæc mea noſſe bona,
Fœmineis exempta jugis, ſolertis Vliſſei
Eſt mea vafrities calliditate prior.
Compede ſiquidem virum ſtricta ligat (ut ligat) uxor;
Liber ego, at ſervus dux Ithacenſis erat.

P. MELISSI HENDECASYLL. AD HENRICUM Stephanum.

QVare me cinara frequenter uti
Iſto tempore vis caniculari,

Dum

Dum fervet calor, ardet æstus ingens?
Baccho nunquid ut adbibente potem,
Phœbo nunquid ut accinente cantem;
An ni sat sitiam, sitire discam?
Si vescar cinara sitim lacessens,
Bacchogratus ero quidem bibenti,
Ast ingratus Apollini canenti;
Et quo plus bibero, hoc magis sitibo.
Potores cinaras ament, eosdem
Vescentes cinaris amet Lyæus,
Et quantum est hominum bibaciorum
Teutonumq; siticulosiorum.
At quamvis amo vitiumq; patrem,
Quamvis vinaq;, Liberiq; florem;
Gratia tamen illius, nec ipse
Has æstu cinaras velim comesse,
Nec Henrice sitim ciere. quin nec
Vinosos odio haud habere possim:
Non, si perpetuæ decus juventæ,
Non, si tot mihi Maßici diotas,
Et tot insuper hirneas Falerni,
Quotquot sufficerent per omne seclum,
Lenæus daret, aureosq; montes.
Arguti modo nesoni repertor
Aversetur Apollo me canentem:
Potor non ego, cantor esse malo.

Pridie Calend. Sext. Anno

M. D. LXX.

HENR.

HENR. STEPHANI HENDECASYLL. quibus Paulo Melisso respondet.

Potor non ego, cantor esse malo.
Sic tu versiculos Melisse claudis,
Quos nuper tua lusit hîc Camœna
Meis de cinaris Virinianis.
Scisne cur vocitem Virinianas?
Alumnas vocat has suas Virinus
Meæ deliciæ, Virinus hortus.
Sed tu dum cinaras nimis nimisque
Invisas mihi vis Melisse reddi,
Quas vides adeó mihi placere:
Has tu dum cinaras, sed immerentes,
Multis & gravibus probris lacessis,
Ira longius impotente raptus
Ipsis verba sonas acerba Musis,
Maximumque creas eis periclum.
Nam quis non subitó valere cunctas
Iusserit, licet ante cultor harum,
Si posthac nequit esse potor idem
Et cantor quoque: sed siticulosæ
Dehinc nescio quæ novæ Camœnæ
Colendæ placitis novis Melissi.
Quàm vicem doleo tuam gemoque!
Quàm vellem tibi charta defuisset,
Quàm vellem tibi penna defuisset,
Quàm vellem tibi verba defuissent,
Versum dum tua mens volutat illum!
Iberi aut Itali profectus ore

Vix

Vix posset veniæ locum mereri:
Quid, quum talia proferuntur ore
Viri Teutonis, & quidem poëtæ?
Non te Mæonides loqui hæc docebat,
Enniusve pater, vel hos sequuti
Tot vates alij, quibus perennis
Fama est carmine comparata docto.
Sed tam longè abeam necesse non est.
Paucis Hessus abhinc ademtus annis,
Teuto Teutona non docebat ista.
Quàm vicem doleo tuam gemoq3,
Quòd tuus tibi concitarit error
Quas prius faciles deas habebas!
Ac si vera licet mihi fateri,
Illo ex tempore (parcitote divæ)
Haud est visa mihi fluens ut antè
Vena mellea carminum tuorum.
Ah quibus precibus novem sorores
Iratas adeó, queas amicas
Tibi reddere? quod piamen hujus
Erroris fuerit? vocare crimen
Quem tamen potius volent Camœnæ.
Si vis consilium meüm probare,
Quæ sunt de cinaris, ut ira suasit,
Tibi carmina cantitata nuper,
Recanta citò, laudibus q3 multis
Probra de cinaris repende multa.
Versum illum quoq3, clausulam priorum,
Refinge: aut potius repone nostrum,
Cantor esse volo, simulque potor.

MELISSI

ANACREONTEVM, QVO PER replicationem H. Stephano respondetur.

AGe, si redactus illò
Stomachosioris iræ
(Vt opinione ludis)
Probra sobrijs Camœnis
Bene potus intulissem,
Satur aut probro fuissem
Cinaris Virinianis,
Epulis tui palati;
Palinodiam canendam,
Grave crimen expiandum,
Veniamque deprecandam
Poloportuit, fatebor.
Licet Ilium poëtam,
Licet Enniumq; & Hessum,
Alios & advocatos
Memores, velut patronos
Bromiæ bibacitatis:
Tamen illa quæ, reprensor
STEPHANE *ebrij meraci,*
Mihi factitanda suades,
Minus ipse factitares;
Satis hoc superque novi,
Satis hoc dicta monstrat.
Alemannus ortus ut sim;
Alemannicum bibendi

Nimis, improbabo morem,
Mea vita dum manebit.
Igitur mihi vel optem
Prius ipsa charta desit,
Prius ipsa penna desit,
Prius ipsa verba desint,
Revocare quàm priora
Meditervemoliarve
Metra. quin libentius q;
Potius q; (pace Phœbi)
Quia potor esse nolo,
Ego cantor esse nolo.

AD FRANCISCVM PORTVM.

QVando poëtarum regem me Porte salutas,
Imperio vates subjicis ipse meo.
Non mihi tam veniat dominandi invisa cupido:
Legibus adstringi nemo poëta volet.
Syllabicas violat si sæpe licentia leges,
Nec transgressores sontica pœna manet;
Quid fore de reliquis censebis? rex ero, Porte;
Si mihi reginam, si mihi regna dabis.

PORTVS AD P. MELISSVM.

ET regina, & regno es dignus summe poëta;
Nec tua vatum aliquis respuet imperia,
Liberior vernis apibus licet ille vagetur
Florida castarum prata per Aonidum:

Vsq;

Vsq; adeò es carus Musis q; Iovi q; parenti,
Regia qui donat stemmata, opes, solia.
Is dabit hæc: Portus numerum populi q; chorique
Explebit, tua qui sceptra Meliſſe colent.

IO. POSTHIVS P. MELISSO.

ERgo vivis adhuc, Paule optatiſſime, vivis;
Atque (quod ex animo lætor) amice vales?
Quem rebar medios inter periſſe tumultus,
Gallia dum furijs eſt agitata ſuis.
O mihi læta dies, alboque notanda lapillo,
Quæ ſupereſſe refert te, mihi dulce caput!
Vive precor ſuperaque diu, cultiſſime vates,
Atque tuis vitam da mihi carminibus.
Sic tibi det quæcunque voles juſtiſſimus heros,
Quo duce ſunt patriæ rura beata meæ.

MELISSVS POSTHIO.

VIvo equidem Poſthi, valeoque, rebellis (ut olim)
Gradivi rabidis cedere turbinibus.
Bis tenuit captum Bellona furentibus armis,
Bis mihi libertas hoſte favente data eſt.
Hæc tibi num vanus tunc vaticinabar haruſpex,
Quando gemens abitum proſequerere meum?
Haud capiti mendax inſtare pericla canebam:
Ah nimis eventus vera fuiſſe probat.
Quatuor aſt hiemes exegit acerbius aſtrum;
Quintus hic, ex voto qui fluat, annus erit.

AD IOSEPHVM SCALIGERum Iulij Cæsaris F.

O Patre docto nate longé doctior;
Quid Musis, quid Apollini,
Aut quid Minervæ non reprendendum canis,
Aeterno memorabile
Seclo futurum? nos sacros Nymphas Nicri
Psalmos regis Iessei
Lyra jubemus Teutona sonare, quos
Bezæ Melpomene prius,
Quos & Maroti Gallicas Libethridas
Arguta docuit fide.
Inusitatum molior quidem meis
Francis tendere barbiton,
Normam sequutus & modum non antea
Vllis hercule cognitum;
Qualis canoro Cnibbius plectro suis
Spem præbet popularibus:
Sed ille Christi spiritus, flatu sui
Quondam roboris efficax
Movere vatum corda, nunc & igneas
Nostris pectoribus faces
Inspirat, ardentesq; venas excitat.
Accedit bona principum
Favoris aura, quæ benignos haud meis
Ventos denegat organis.
Adhæc piorum crebra me suspiria
Et linguis animant suis
Reddunt q; vegetum, destitutos viribus
Nervos deficiam licet.

Ni

Ni distinerer Myrtileti longius,
Divinis operis vacans,
Præclara jamdudum Valentiæ schola
Nobis hospitium daret.
At sive fixum psaltriæ cursus meæ
Ad finem properaverit,
Seu mors celerius fila cum vitæ mihi
Tum ruptæ sciderit lyræ,
Vestras in oras quàm redux Cujacium,
Scitum juris, & arbitrum
Legum sacrarum, teque culte Scaliger
Musarum videam decus:
Absentis oro tam recolite memoriam,
Quàm vestri memor usque sum.

IOSEPHVS SCALIGER IVLII Cæs. F. ad Paulum Melissum, poëtam laureatum.

Cæleste pectus, cujus ex inexhaustæ
Mentis scatebris, limpidissimæ linguæ
Sermone dia vena lacteo manat,
Melisse: quid me naufragum, quid oppressum,
Quid improbo doloris obrutum fluctu,
Curvumque luctu, & fronte cernua terram
Tuentem, ad altæ lumen erigis Musæ,
Vt scripta nostra provocans tuis scriptis,
Inamœna scripta candidissimis scriptis,
A mente curis & silentio mersa
Molles camœnas, molle carmen expectes?

Hoc licuit olim, cum faventibus Musis
Secunda nostros aura temperans cursus
Mea ad beatos vela mitteret portus,
Regens amicæ pacis in sinu tuto
Studijs adultam liberalibus mentem.
Quam lenis ardor, atq; literis florens
Ignobili fovebat otio primum
Quies bonarum mollis artium nutrix,
Serena vacuæ flabra semper aspirans:
Postquam e procellis eq; triplici fluctu
Civilis æstus, delicatus & liber
Excepit alma me Valentia portus;
Vt juris acri sancta me Themis cultu
Artificis expoliret ungue Cujacij,
Inexpiatæ post cruentæ Bellonæ
Pugnata cælo bella semper irato.
Tunc tunc poëta, tunc Apollini carus
Vixi; camœnis tunc amicus audivi;
Nec ulla surdo plectra movimus Phœbo.
At nunc doloso flamma Martis insani
Suppositæ cineri, quamq; pacis armatæ
Fallax alebat vultus, ut prius stultis
Spes suggerebat Suada credulas Gallis,
Exsuscitata fulsit. ilicet magnam
Inopina cunctis urbibus dedit stragem.
Vnde administrat sæva Erinnys ardentes
Incendiorum civico faces bello.
Quare metu dejectus, obsitus luctu,
Atratus, expes, in tuum sinum fugi
. . a: quæ me patriæ exulem terræ

Blanda

Blanda atq; amica caritate foviſti.
Ergo ille primus ardor, ille cognatus
Nitor obſoleuit mentis ad metus illos,
Meliſſe, qualis ad Caniculæ tabem
Omnis ſilet flos. & tamen tuis ſcriptis
Vires recepit, qualis imbribus ſeris
Seges renidet ægra: quæ diu languens
Fruſtra coloni ſpem ſagacis eluſit.
Quod ſi quis ullas fomes ullus in nobis
Reſides ſepulti celat ingeni flammas;
Totum hoc tibi ardet, hoc tibi reviviſcit:
Totum hoc amoris aura ventilat veſtri.

N. C. TRELÆO MOSELLANO.

FErvet amor calidis ſociatus menſibus anni,
Sed genitus brumæ tempore friget amor:
Plebs ait. ipſe tamen Clemens haud algidus, ambit
More proci φιλίαν, dum gelat aura, meam.
Plebs mendax. ne ſit plebeius amicus uterque,
Do tibi me ſocerum, da mihi te generum.

TRELÆVS MELISSO.

GAudeo te ſocero gener auctus, amicus amico;
Nam φιλία eſt oculis carior ipſa meis.
Abſenti ſed fortè viro ne fœdera rumpat,
Deſerat aut patriam ſola relicta fidem;
Sancta mihi φιλίαν liget arrha Meliſſe dicatam,
Si generum me vis ut volo te ſocerum.

MELISSVS.

VT Iovis e cerebro Pallas fata; sic tibi, Clemens,
Quam junxi, virgo pectore nata meo est.
Tolle animi dubium. nunquam non casta manebit
(Absens seu coram sis) Schediana fides.
Spondeo. quid tu ultra stipularis? amore ligatis
Arrha pari nodis sanctior esse nequit.

TRELÆVS.

ARrha pari nodis quæ nescit amore ligatis
Sanctior esse, fide nititur ingenua.
Arrha notus amor dubio procul ille patescit,
Pectore quem natum contegit alma fides.
Carmine Paule probas arrham sponsore negatam,
Arrhaq; Paule tui carmen amoris erit.

MELISSVS.

QVei nego, q̃d tibi do? nõ carmine teste, pbãda est,
Quæ viget in casta mente pudicitia.
Nata refert mores & puros matris amores;
Nata refert genium patris & ingenium.
Dos fuerat, Clemens, a me stipulanda. sed ecce
Tu Philian ducis jam sine dote domum.

TRELÆVS.

QVid stipuler? natæ dos est ampliſsima virtus;
Non ego miror opes, munera nulla sequor.

Illa

Illa mihi dives, sunt cui sine crimine mores:
Parce socer, natæ dos mihi virginitas.
Sat dotata, refert castos quæ casta parentes:
Parce socer, Philian non sine dote locas.

IOAN. POSTHIVS GERMERSEmius Paulo Melisso suo.

QVale sit hoc, Domino quod vovi nobile votum,
Carmine Paule meo certior esse cupis:
Nempe quòd immodico perfundere tempora Baccho
Non unquam, superat dum mihi vita, vélim.
Hoc summi præcepta Deï veneranda requirunt;
Hoc ratio, nobis quam dedit ipse, jubet.
Adde, valetudo quòd idem mea postulat: adde,
Quod deceat doctos sobria vita viros;
Præcipué medicum: miseris ut rectius ægris
Consulat: his etenim vel levis error obest.
Adde, quòd in gravibus præceps occasio morbis
Præsentem medici sæpè requirit opem.
Heic rogo quid faciat, cerebrum cui fervet Iaccho,
Quive olido hesternum ructat ab ore merum?
Prætereo rixas, scelera impia, vulnera, cædes,
Omnia quæ demens parturit Ebrietas.
Multa sacræ referunt exempla, ac multa profanæ
Historiæ, atq; ætas hæc quoq; multa videt.
Ergo Bacche vale, Bacchiq; valete sodales;
Non ego, non vestro postmodò more bibam.
Nullus amicus erit tanti mihi, non erit ipse
Cæsar, ut hoc mutem nobile propositum:

Non, mihi si pretium detur vel Francia tota,
Quidquid & in gemino littore Rhenus habet.
Vina bibam, sed parca sitis quantum exigit: ultra
(Teste loquor Domino) pocula nulla bibam.
Hujus me memorem voti facit annulus iste,
In digito minimo quem mea dextra gerit.
Huic similem, si me redamas, tibi Paule parabis,
Vt simili posthac tu quoq; lege bibas.

P. MELISSVS SCHEDIVS FRANcus ad Io. Posthium med.

IN quoscunque situs venio Germanidos oræ,
Antè alias omnes quæ spatiosa patet,
(Proh pudor!) invenio tætræ ebrietatis alumnos,
Quos Epicuréa grex amat udus hara.
Suaserit & quisquam porcis cum talibus ullum
Icere mansuræ fœdus amicitiæ?
Invitatus eris? sanè tibi, si modò possint,
Ingerere in fauces dolia tota volent.
Quin scelus & facinus crimenque putatur, ab illis
Si conviva domum non nisi potus eas.
Quo plures aliquis sciet exhaurire metretas,
Dignus eo fuerit nobiliore nota.
Sardanapalæo licet ore regurgitet haustus,
Est decus a vomitu mox iteràsse vices.
Grandibus inscribunt potores nomina vitris,
Signaque eorumdem picta fenestra tenet,
Quoque vitro biberint, id fractum dente comestur:
Vsque adeó fortes Hectoras esse putes!

Teute

Teuto ferox olim ferro pugnavit & armis,
Vitrea nunc bibulo prœlia Marte gerit.
Quid loquar, ut pateræ sumant vice sæpè matellas,
Calceüs & cyathi sit quoque sæpè loco?
Ebrius hic mos est: sic vivitur. at mea, Posthi,
Socraticos mores æmula vita probat.
Sobrius his nomen meritumque indeptus honorem
(Testibus & Gallis Ausonijsque) tuli.
Nec queo non laudare tuum, carissime, votum
Pars ego votivi prima sodalitij:
Tu modò fac choreas restim ductantis ineptas
Ejures simili, ceu priùs ipse, modo.
Firmet id ambito mihi circulus aureüs orbe,
Quem manus articulo dextra minore gerat.
Lurcones primis sum detestatus ab annis,
Hos & ad extremos exsecror usque dies.

AD EVNDEM.

QVeis tua sunt, Posthi, sine nostris carmina lecta,
Arguor esse meri sive fuisse bibax.
Me sibi Sobrietas experta est semper amicum,
Ebrietas hostem: nil moror ebriacos.
Vtque ego Nephalia cum Nympha exerceo pacem,
Sic cum monstro istoc Teutona bella gero.

POSTHIVS MELISSO.

TE bibulũ quereris reputari hoc nomine, quòd te
Admoneo, nostra lege Meliſſe bibas.

Ast

Ast ego te potius legi, quòd sobrius esses;
Spernit enim leges ebria turba meas:
Vtq; palàm nostrum sic contestarer amorem,
Qui nullo cœpit cognitus esse mero.

AD CVNRATVM ALBINVM, PATRICIUM Francofortensem, cum ei annulum dono daret.

(Melissi.

QVi VOTVM SANCTVM DOMINO, dos grata,
Aureüs inscriptum jugiter orbis habet,
Retrahere a nimio gnarus labra Bacchica potu
Vinciet articuli terga rotunda tui:
Vt quam vovisti, nunquam violata fatiscat
Candida jurato numine Sobrietas.
Corrigere errores transacta posse juventa,
Hoc decus acceptum ritè fer omne Deo.
At cave lymphato rursus ne gurgite mersum
Te sibi mancipio vendicet ipse Satan.
Hæc memor ut cunctos præstes Albine per annos,
Annulus hic fidei sacra sit arrha data.

C. ALBINVS IN ANNVLVM SIbi a Meliſſo donatum.

ANnulus artis opus miræ, donumq; Melissi,
Aeternum nostri pignus amoris erit.
Est carum rutilans aurum mihi, carior autor
Hoc qui dat digito munus habere meo:

Quod

Quod tibi Pegasides suaserunt mittere Musæ
Delicium o animi culte poëta mei.
Haud alio tamen est gratus mihi nomine, quàm quòd
A mihi dilecto pectore missus adest.
Hunc quoties video, suavis mihi vultus amici
Occurrit, toties & renovatur amor.
Ille igitur digito nunquam tolletur ab isto,
Dum firmo durat fœdere noster amor.

IDEM AD MELISSVM.

VOtum ter sanctum Domino, clarissime vates
O & Pieridum dulce Melisse decus;
Ter sanctum (dico) votum te consule vovi,
V ino quod posuit luxuriæq; modum.
Mille etenim Bacchi vitiorum copia, mille
S ecum proh scelerum quum trahat illuviem;
Abstinuisse gulam nimio sacra pagina luxu
N os jubet, & parcis sumere vina labris.
Corporis atq; salus animæ si pluris habenda est;
T etrior ebriaci quàm gregis illa lues:
Vota quis ista Deo neget auspice facta, serenam
M entem quæ pura sobrietate beant?
Dum viget hoc corpus, servabo fideliter illa:
O ccuper hæc servans morte ruente senex.
Me monet & pietas fidei coluisse tenorem,
I ngenioq; sagax Posthius ipse monet.
Nomine quo digiti mihi nexus annule vinci:
O mea sint nullis irrita vota modis!

SEBAST.

SEBAST. SCHEFFERO POE-
ticæ professori.

Dixisti toties Sebastiane,
Scripsisti toties, brevi futurum
Vt nostram citò curreres in urbem,
Albino duce, gente Candidorum
Nato patricia; sonante Mænum
Qui testudine Francicum moratur,
Sistens ad vada Mænidas stupentes.
Hoc te protinus optimo virorum
Stipatum, fore redditum sodali
Scripsisti toties Sebastiane,
Dixisti toties (ferè addidissem
Nugatus toties) sed ut lubebit
Hinc & inde require diligenter
Indagave, quibus vel arte possis
Persuadere Sinonia, vel ultro,
Vt tuis habeant fidem loquelis.
Ad me jure quod attinebit, hercle
Invitus tibi credo: namque novi
Magnum scilicet esse te poëtam.

RESPONSIO SCHEFFERI.

Magnus versiculis tuis poëta
Appellor, referam tibi Melisse
Quas grates? age prædicabo plenis
Virtutes numeris tuas poëta.
Vir magnæ pietatis est Melissus,
Iusti semper amans & æquitatis;

Vita

Vita Scipio temperante, morum
Elegante Cato severitate;
Miti corde supremus Africanus,
Alter pectore Gillias benigno;
Nunquam lætitiæ, spei, timori,
Mœrori tribuens minusve plusve,
Ipsi apté sibi doctus imperare;
Multam clarus ob eruditionem,
Francorum decus, & corona Mæni;
Summis carus & infimis amicus;
Idem prima sodalium venustas,
Idem maxima virginum voluptas.
I nunc, & mihi crede non libenter:
I, magnum vocitaq; me poëtam.

ANT. PISONI DUCIS LOTHARingi Archiatro.

Me nisi Mænano tenuissent littore Nymphæ,
Quum te Neccarica sisteret amnis humo;
Crede mihi Piso, feciſſem ne foret unquam
Dulcis amicitiæ cauſſa pudenda meæ.
Multa quidem Clemens de te narravit, & idem
Candoris retulit maxima ſigna tui:
Aſt ea ſunt illis longè inferiora putanda,
Te quibus Aonius tollit ad aſtra chorus.
Scilicet hæc propter, mea Piſo Camœna decenter
Palladia nomen ſacrat in æde tuum.
Si te, care ſenex, priſci venerantur amici;
Cur novus & juvenis non tua juſſa colat?

ANTO-

ANTONIVS PISO AD PAVLlum Meliſſum poëtam eximium.

Quantùm me ſcripto mellite Meliſſe bearis
Carmine, vix quemquam credere poſſe reor.
Nemo adeó credat, cui non perſpecta voluptas
Tanta, mihi quanta eſt carmine capta tuo.
Ignotum aggrederis ſcripto prior; & peramico
Carmine certamen Paulle Meliſſe paras.
Eſt igitur mihi nunc tecum certamen amoris:
Verſibus alternis pugna obeunda venit.
At licet haud parili ſim certaturus ὁπλισμῷ,
Imparibus q3 armis res ſit agenda mihi;
Piſonem meliore tamen victoria parte
Certamanet: nobis tu dabis ipſe manus.
Sum conceſſurus tibi laudem carminis: iſtud
Nil moror: hoc a me ſit tibi Paulle datum.
Vt tu nos ſuperes condendo carmine, amore
Non cedam: palmam non in amore feres.
Perſequar at q3 colam magno fervore Meliſſum:
Hunc iſtâ nunquam vincere parte ſinam.
Carmina ſunt (fateor) myrtus tua: myrtea ſerta
Sunt nobis: ea ſunt myrrha, meliſſa, crocus.
Hæc legi, & relegam quæ ſcribes, plena lepóre
Carmina; erunt q3 mihi nectar & ambroſia.
Sic ſapiet nobis, grato q3 placebit odore,
Quicquid erit poſthac, quod tua Muſa dabit.

MELIS-

MELISSVS EIDEM A. PISONI.

Piſo, tibi nondum ſum victus amore triumfum
Quid canis, aut quid ovãs alta trophæa paras?
Neſcin' ut Hectoreos certamina cedere Francos,
Intrepido fretos pectore, nulla ſinant?
Eſt Agape, eſt Erato, noſtris quæ partibus adſtant,
Vtraq; flammiferis cincta Cupidinibus.
Tantum aberit, nos ut ſuperes cuppedine amoris,
Vnus ut in multos vel procul ire neges.
Sis tamen Alcides; ut dem quid. homóne deorum
Quemquam captivum ſiſtere velle putes?
Vtq; velis, minimé poſsis. dea ſola, tametſi
Infima, mortales mille domare valet.

AD LVDOVICVM MASVRIVM Nervium.

Saturnalibus en tribus peractis
Iam vigeſima lux Decembris inſtat,
Natalis mihi. ni fores ab undis
Nicri tam procul avij remotus,
Mecum prandiolumve cœnulamve
Sumeres Maſuri, tuaq; nobis
Geſtires recitare docta Muſæ
Argumenta; ſilentis Angeronæ
Illius taciturniore feſto
Non cogente ſodalium venuſtas
Obmuteſcere collocutiones.
Forſan te ſatias cibi magis, quàm
Minus me caperet tuæ loquelæ:

Sed Clemens, genialis ille Clemens
Mosellanus, ut est pater lepórum
Disertus saliumq; dulciorum,
Lepóre & sale dapsiles patellas
Condiret, pariter Rosinulamq;
Dianamq; jocosiùs susurrans.
Interim nihilominus remoto
Quamvis, sobrie Ludovice vates,
Semiabstemius hoc amoris ingens
Mutui tibi poculum propino:
Vt reddas pariles vices, amoris
Alterni mihi poculum propina.
Nam quid suavius est amœniusve
Iunctis unanimi fide poëtis?

MASVRIVS AD P. MELISSVM.

QVòd me versibus huc adire missis
Certas, omnibus antepono donis.
Quòd tecum ipse diem tui Melisse
Natalis facili cupis Camœna
Me lætaq; agitare voce festum;
Iamdudum hoc equidem frequens & ipsum
Ingenti precor expetoq; voto,
Quo Musa simul eruditiore
Præsentis valeam frui Melissi.
At quum nos habeant loci remotos,
Et privata loqui vetemur ipsis,
Quàm gratum mihi poculum quod absens
Absenti procul ac prior propinas!
Quàm gratum mihi poculum quod inter

Nos

Nos pignus ſtabile eſſe vis amoris!
En hoc, quod petis, ut vices amico,
Mente æqua, licet impares rependam,
Hoc, inquam, ingenui pij q; amoris
Miſſo carmine poculum propino.
Quanquam, qui novus eſſe nunc videtur,
Pridem cœperit hic amor, meæq;
Gratis ignibus ardeant medullæ.
Nam conſtans animi Meliſſe virtus,
Et Muſæ comites tibi, fides q;
Invicta, & pietas amor q; veri
Dudum certa mihi fuere philtra.
Aeternùm aſſerat hic amor ſibi nos
Iunctos unanimi fide poëtas.

MELISSVS MASVRIO.

PHiltra vocas, Maſuri, noſtri irritamen amoris,
Quo memoras dudum corda flagraſſe tua.
Roſcidus exultis ſurgens mihi floſculus hortis
Vim loti mentes allicientis habet:
Hunc puto guſtaſti baccæ dulcedine captus,
Muſtea purpureo quam tegit herba ſinu.
Ipſa tuis dulceſcat eo magis opto labellis,
Quo magis ardenter mellea liba cupis.
Nullus amicorum eſt auditus, nemo q; viſus,
Cui ſubamaruerit floſculus ille, queri.
Aruerint alij flores; tibi frigore vernat
Dulce Meliſſæ germen amicitiæ.

C. VTENHOVIVS C. F. MELISSO
suo mellitissimo.

CVr tibi dilatulerim rescribere, quærere noli,
In causa amissus nempe Melissus erat;
Scilicet & spinis & sentibus haustus acutis,
Spinicolûm complet melle favoq; rubos.
Nil erat amisso quod melle reponere possem,
Deerat & amissis cera Melisse favis;
Quam nisi cumq; suo mihi melle favisq; Melissus
Redderit, Pharium vertar in Harpocratem.

MELISSI RESPONS.

SIccine cura meï tibi Carole nulla relicta est?
Siccine (me miserum!) sum tibi vilis ego?
O crudelis & in me, o & crudelior in te,
Qui me perdideris & mea mella simul!
Quin ego sum felix, nec tu nisi mitis & insons:
In medijs veprium sint mea fata rosis.
Suavius ecquid enim est, inter quàm LILIA *nasci,*
Idaliasq; ROSAS *inter amore mori?*

AD EVNDEM C. VTENHOVIVM.

DIximus insontem te Carole; sed neque credis
Ipse, nec huic quisquam posit habere fidem.
Culpa tua est, quòd tunc cera periere favique:
Quòdq; simul pereo nunc ego, culpa tua est.
Quid juvat immensos animo versare dolores,
Sive ea culpa gravis, sive ea culpa levis;

Dum

Dum mihi Tantaleas gaudes infligere pœnas,
Et quæ danda velis, te dare nolle doces?
Fragmina vos testor mellis. quin recreor æger,
Vbere de fonte, & de locuplete penu?
Qui priùs ambrosia, priùs & me nectare pavit,
Me necat ille fame, me necat ille siti.

IOHANNI VTENHOVIO.

Sic tibi Iane graves detur vitare dolores;
Sic æstas lenis sit tibi, mitis hyems.
Dic Carolo fratri Pallanteæq; puellæ,
Tandem aliquando meïs sint medicina malis.
Non sat erit dumis amissum subter opacis
Sub Iove tot pluvias, totq; tulisse nives?
Aut ope restituar vestra, aut medicandus oportet
Vi propria Coum muter in Hippocratem.
Vtramcunq; volet sors, hoc precor inter amœnas
Tu mihi mnemosynon pone fidele rosas:
SIT LICET IN VIVIS IESSEIA MVSA MELISSI,
PARTE TAMEN PERIIT HEIC MELIORE SVI.

C. VTENHOVIVS MELISSO Laurigero.

Carolus Vtenhovius quod ahenaq; paucaq; reddat
Aureole aureolis carmina Paule tuis;
Carolus Vtenhovius non est culpandus, & hujus
Causa tamen sola est Carolus Vtenhovius.
Tu, duo quî possint contraria vera in eádem
(Si Dialecticus es) re simul esse, doce.

MELISSVS RESPONDET.

SI simul atq; semel contraria bina probares,
Absona Rhetorico lemmate diluerem.
Tu sed in ambiguo colludere nomine gestis
Carole. fallor: amas simplicis ora soni.
Caussa es amicitiæ, fragili quam firmiùs auro
Carminis æterni vincula ahena ligant.

C. VTENHOVIVS F. P. MELISSO V. eruditiſs.

QVòd tua tam raris pensem tam crebra tabellis
Carmina, si cor habes, parce Meliſſe queri.
Vt tibi proveniunt Musis & Apolline dextro,
Vtq; mihi adversis carmina nata Deïs:
Sic tua labuntur Rheno quoq; vecta secundo,
Nostra sed adversa scripta feruntur aqua.

MELISSVS SCHEDIVS VTENHOvio suo.

CArmina quin potius tibi plurima, Carole, venà
Versibus ut nostris uberiore fluunt;
Valdiùs amne celox obliquo sic tua fertur,
Delabens recto quàm mea lenta ratis.
Scilicet adversas undasve deosve querêris?
Tu dominaris aquis, tu dominare deïs.

MELISSO LIBERRIMO.

QVum neq; tot numero numeros æquare valerẽ,
Par neq; tot numeris esse lepóre tuis;

Vincerer

Vincerer innumeris numero ne versibus abs te
Turpiter, & Genij Paule nitore tui,
Concedens numeroq; tibi numerisq;, removi
De numero numeros, de tabulaq; manum.

Μά. ΚΑΡ-Ο῞ΛΟΣ Ο'ΥΘΕ'Ν-Ω̣̃-ΒΙ'ΟΣ.

VICTOR GISELINVS SANFORDANVS
Ad Nicolaüm Clementem
Trelæum.

CHRISTO DVCE, COMITE FIDE,
CLEMENTIA VICTRIX.

SEquana amicitiæ doctæ doctissimus auctor
Quàm bene conjunxit me tibi, teq; mihi!
Vincere ego nequeo, nisi cedam: tu nisi Clemens
Esse potes Victor, vincere posse negas.
Sancta Fides, Charitesque & vos Heliconis alumna,
Vestri amor hîc si nos jungat amore pari;
Nos etiam jungant vota: & victrice coronet
Lauro utrumque pari Christus & alma Fides.

N. C. TRELÆVS VICTORI
Giselino.

NOn cupio tecum versu contendere, Victor,
Invicto calamo carmina docta canis.
Doctus Apollineo superas certamine doctos
Victor, Pegasei natus ad arma chori.
Cedam victurus Victoris carmine sacro;
Victricis vitam dent mihi plectra lyræ:

Victoriq; ſuo Clementem fœdera jungant,
Auſpice ſub Chriſto, vel comitante Fide.

CÆLO MENS INCLVSA.

MELISSVS SEMPER-FRANCVS AD Victorem Giſelinum & Nicolaũm Clementem.

CHriſtus & alma Fides victrice coronet utrumq;
Lauro; vos jungant pectore vota pari:
Aonidum Charitumq; ſacro quia fœdere dignos
Adſcivit Clarijs clarus Apollo choris.
Quó cedis Giſeline? negat ſic vincere poſſe
Clemens. Victorem cedere velle, ſat eſt.
Victor ovans ſuperes, ſuperet Clementia victrix:
En dux Chriſtus adeſt! en comes ipſa Fides!

MANET IMMVTABILE FATVM.

INSOMNIVM FRANCISCI AVERLIJ Eq. Gal.

GRamina decurrentium rivorum latera cingunt
perennis fugæ ſocia:
Naſturtium inexhauſtos lucidosq; fontes ambit:
Capræ ad periclymenum ſubeũnt:
Apes thymi aſſeclæ ſunt ut cicadæ roris:
Ovium peregrinatio eſt in trifolio:
Grues advenæ vere novo aratri veſtigijs
inſtant.
Aſt Apollo ſuis comitatus Muſis ad Pauli vocẽ advolat, choros ducit, & ſuavium carminum blanditia
ineſcatus

ineſcatus tripudiat. Eja verò Franciſce, dic qua gratia hîc deſides? lapis homo. Admiratione perculſus egregÿs de præſignivate cogitationibus inſiſto, & ſola voluntatis inclinatione quod aſſequi nõ poſſum, conſequor.

Ornamentum prati eſt herba;
Herbæ venuſtas flos:
Elegantia digiti annulus;
Annuli decus gemma:
Arboris hilaritas frondes;
Frondium honor umbra:
Viridarÿ delitiæ hyacinthus;
Hyacinthi gloria ſertum:
Vitæ gaudium amicitia;
Amicitiæ felicitas erudita copula.

Iam quis D' Averlæo beatior, cui intimus eſt Meliſſus Amœnitatis nemus (titubat lingua, de Mœno meditabar) & lepidorum cantuum Oceanus? Sed & quis eodem infortunatior, cujus imperitia tantæ felicitatis expletionem interpellat?

Vt ſpecioſus taurus,
Sublimis fuſaq; cypariſſus,
Pinus tenera;
Gregem minutulum,
Cæduam ſylvam,
Filices aut humiles dumos
ſupereminet:

Sic P.M. inter præclaros Poëtas
fastigium tenet;
Sicq; Fr. D' A. Pauli Mel. amicos omnes & altitudine & amplitudine studiorum dicamne antecellit an exuperare cupit?

PAVLO MELISSO.

PAule, poëtarum cui doctis frontibus hærens
Cinxit honoratum laurea serta caput:
Quid facis, o vates? quib. exigis otia Musis?
Aut quibus in studijs fallitur hora tibi?
An teneras mulcens liquidis accentibus auras
Musica non uno dividis orsa tono,
Vt te miretur modulantem limfa Deorum
Renus, & exultans altera nimfa Necer?
Anne Palæstinas numeroso carmine Musas
Solvere Teutonicis ora diserta modis
Instituis? Felix animi, vitæq; beatæ,
Si mentem capiant illa, vel illa tuam.
Felix, qui faciles traducis pectore curas:
Otiaq; in tenera sancta quiete colis.
Vivaci cui dona indelibata senectæ
Spondet inoffenso tracta tenore salus.
Quem non ulla malo labes tentavit acuto.
Non ulla afflavit vis inimica mali.

At mihi

At mihi perpetuum mordacibus anxia curis,
Nec sine sollicito ducitur hora metu:
Quem monstro prognata lues, quæ limite certo
Quatuor alternos itq; reditq; dies,
Obsidet, & tacita populatur peste medullas.
Hei mihi, quòd loquimur verba minora malo:
Nec possunt Elegi vivis proponere pestem
Sensibus. altiloquæ res erat ista lyræ.
Sic me injit victrix: sic me spoliavit inermem.
Sic de me celsis alta triumfat equis.
Nec mihi sufficiunt veteres in corpore vires.
Nec pes munus obit, nec manus ulla suum.
Sed sum, quod ventis debet ludibria, pondus;
Et quod onus primis flatibus aura levat.
Me non ulla juvat Cerealis gratia fœtus;
Gnosia nec veteris grata saliva meri.
Omnia Cerbereum spirant mihi noxia virus.
Omnia sunt ori trita venena meo.
Quid jejuna loquar diluti tædia gustus?
Oraq; non unquam ficca liquore suo?
Quid matutinæ fastidia lenta salivæ?
Hostibus eveniat ah sapor ille meis. (mur?
Quid stomachũ exesum, stomachiq; inamabile mur-
Et nunquam ad gemitus pectora muta suos?
Cum gravior fundo veniens exæstuat imo
Spiritus: & fauces tussis anhela quatit.
Quid nocturna modis insomnia turbida miris?
Quasq; mihi intentat mortis imago minas?
I nunc, meq; jube Musarum expromere fœtus.
Et vacuæ à nobis exige mentis opus.

Me juvat

Me juvat exorare malum hoc: quibus illa pianda
Auxilijs: quo sit ture litanda mihi:
Formidandum ægris, atq; implacabile numen.
Vna tribus Furijs addita quarta soror.
Post subducta polo cœlestia semina flammæ,
Atq; Promethéa conscia furta manus,
Prima peregrinis Erebi caput extulit oris.
Insueta & vultu terruit astra suo.
Morborum & traxit ferales prima cohortes.
Seque ducem jussit, & sua signa sequi.
Inde hominum miseris cervicibus imminet hostis;
Calcat & imposito subdita colla pede.
O dulces animæ, si qui superestis amici,
Iure sodalitij pectora juncta mihi:
Accipite has lacrimas, supremi pignora luctus.
Tristiaque atratis carmina picta notis.
Et tibi nec nostri sit funeris ultima cura,
Devotum Musis docte Melisse caput.
Sic tibi sint faciles Bœotia numina Musæ;
Impediatque tuas laurus odora comas.
Atque olim quandoque mei non inscia fati
Vertet in auriculas nuncia fama tuas:
Omnibus indicas fac luctum, Paule, poëtis
Et nostri, dices, pars fuit iste chori.
Sic dices, tumuloque dabis tua carmina nostro.
Carminibusque tuis carmina junge mea.

HIC SITVS EST, QVI NEC VIXIT NEC MORTVVS OLIM EST.
NAM MORS VIVA ILLI, MORTVA VITA FVIT.

Ios. Scaliger æger.

MELISSI

MELISSI MELOS

AD HIERONYMVM OLBORnum I. V. D.

NAtura rerum dædala conditrix,
Quum cæterorum gens animantium
Demissa terræ spectet imum,
Os homini dedit elevatum
Olborne: rectos hinc oculos jubet
Illum, sequaces luminis, arduam
Fidenter arrectos in æthram
Tollere cælicolæ Tonantis.
Mortalium pars ah quota lucidas
Sphæræ petisset stelliferæ vias?
Plures sequendi proniores
Triste chaos Stygiamve lamam.
Tellure fibras ipse quidem satas
Compagis in te corporeæ geris;
Mentem propagatam superné
Spiritus ad superos reducit.
Idem soporis nocte pigerrimi
Claræ fugata sidere lampadis.
Spissis ab umbrarum tenébris
Me resídem vigil excitavit,
Dias aperturum ætheris orbitas;
Prægestientes queis animæ piæ
Vehantur, ad sedes beatas

Vranie

Vranie duce deſtinatæ.
Aſtræa juſti propoſiti tenax
Solam relictam Spem viduæ modo
Orbæve pupillæ reviſens,
Cardine lapſa poli ſupremo
Ius, æquitatem, conſilium, fidem
Secum faventi numine rettulit:
Regnis gubernandis forenſi
Cum trutina Themis alma præſtò eſt.
Sanctas Iehovæ quis modò filias
Suſpectat, ut par eſt? quis amabiles
Divas honorat? quis receptis
Hoſpitium ſociale præbet?
Supiniores ad bona ceu ſumus
Tutanda, priſci quàm fuerant avi;
Sic nequiores invenimur
Ad mala quæq; (nefas) patrandum.
Virtutis altæ degeneres patrum,
Olborne, fraudem fraude, dolis dolos,
Et criminoſis probra probris,
Et ſcelere ſcelus aggeramus:
Quondam bimembres ſic, genus impium,
Montem feruntur monte, jugis juga
Impoſta moliti Gigantes
Accumulare, Iouem peroſi.
Binis Cyclopum turba ſororibus
Genas cruentis, & laceris comas,
Non lumen exorbare tantum eſt
Auſa furens, animam ſed ipſam.
Germana tellus exilij memor,

Net plurimarum nescia cædium,
Amanter extorres benigno
Auxilio juvat indigenteis.
In te recumbens Spes, Hieronyme,
Fiduciam non exiguam fovet,
Astræan assertam patrono
Atq; Themin fore vindicatam.
Macte ergo votis: assere, vindica
Exterminatas. Te mihi præmio
Illæ remactassint, ut inter
Astra recens oriaris astrum.

VICTO-

VICTORINVS STRIGELIVS

PAVLO MELISSO SCHEDIO P. LAVreato, Deo & Musis caro
S. D.

BInas a te accepi literas humanitatis consperſas ſale, quibus ſi non reſponderem, eſſem planè indignus cõmercio quòd tot annos cum Muſis habui. Primum igitur tibi amanter gratiã habeo pro carmine tuo, in quo inſigne ſpecimen tuæ erga me benevolentiæ oſtendiſti. etſi enim modũ in me prædicando exceſſiſti; tamen fateor me tuo vel judicio vel amore magnopere delectari. Meminiſti & reipſa probaſti illud Euripidis; Ille ſapit ad communem utilitatem, qui amicis honeſtiſsima tribuit. Sic igitur tuum carmen de me ſcriptũ interpretor, ut id magis tuæ comitati, quàm meæ perſonæ congruere arbitrer: deinde mea quantalacunque ſtudia & officia tibi prolixè defero. amo enim ingenium tuum & facultatem ſcribendi, quam video te conferre non ad ſcurrilem maledicentiam, ſed ad laudem Dei & bonorum virorum: itaque omnes boni viri meritó te amant & colunt. Audio iſtic peſtem graſſari, eamq; ob cauſam Principem noſtrum Palatinum Chriſtophorũ Baſileam ſeceſsiſſe. Hæc ſi vera

vera ſunt, quæ utinã vana ſint, non dubito te quoq; in alium locum migraſſe. Quare cum non certo ſcirem, an hæ literæ ad te perventuræ eſſent, volui eſſe brevior & cætera differre in aliud tempus. Bene vale vir doctiſsimè, & me, quod facis, ama. D. 24. Iulij 1568.

VICT. STRIGELIVS P. MELISSO S.D.

CVm literas meas nuper cuidam Lugdunenſi darem, nondum poſtremas tuas acceperam, quibus adjunctus erat catalogus librorum viri doctiſsimi Henrici Stephani. quare cum certi homines nunc ad vos proficiſcantur, nolui eos ſine brevi reſponſione ad te venire. Etſi aũt omnes tuæ epiſtolæ me mirificé delectant, tanquam teſtes minimé fallentes tuæ conſtantis erga me veterem amicum benevolentiæ: tamen poſtrema propter appendicem gratiſsima fuit. Delector enim ingenio & doctrina exquiſita ſummi viri H. Stephani; qui non tantùm ſibi & ſuis Muſis cánit, ſed multo magis obtemperat præcepto Theognidis:

Si cui contingit docto ſapientia major,
Invidiæ ſtimulis non agitetur iners;
Sed colat ingenuo divinas pectore Muſas,
Doctrinaq; alios inſtruat ipſe ſua.

Quare cum Henricus & ſuis & alienis ſcriptis remp. literariam ornet & augeat; dignus

est cui non tantùm hujus ætatis homines honestissima tribuant, sed etiam universa posteritas gratiam habeat. Sed de hoc satis. Qui tibi meas reddunt, sunt Vngari viri boni & docti; quos si mea quoq; causa amanter complexus fueris, gratissimum mihi feceris. ita enim per semestre hîc vixerunt, ut omnibus bonis mihiq; in primis desiderabilē sui memoriam reliquerint. Ac si de tua humanitate dubitarem, accurata oratione eos tibi commendarem: sed profectò Musis tuis eruditissimis & suavissimis magnam facerem injuriā, si longiorem sermonem hac in re ponerem. Bene vale vir clarissime, & per occasionem ad tui amantissimum scribe. D. 21. Aprilis 1569.

IOACHIM. CAMERARIVS PABEPERG. Paulo Melisso Schedio Franco S. D.

MAlo fateri peccatū quàm quærere quomodo illud defendam, qui ad tuas eruditas literas amantissimé ad me scriptas & jampridem missas uná cum elegantibus fœtibus ingenij tui, tam longo tempore nihil responderim: etsi nimis verū est, impedimenta & ad hoc officium præstandū, & exequenda alia multa, atq; moras illatas fuisse crebras infirmitate valetudinis & virium debilitate. cujus potuit esse testis C L. V. Ehemius, sicut fuisse eūm non dubito, à me præsertim, ut esset,

esset, rogatum: eūmq; etiam excusasse cessationem meā cōfido. De his igitur satis. Quòd videris requirere versus quosdā, qui a me componantur; miror quî in mentem tibi veniat hoc tribui velle florenti tibi virtute & doctrina, ab obsoleſcente senilis ætatis meæ per se neutiquam præclara facultate; & me laudes egregias tuas culpa deterere ingenij, hoc tēpore ac si unquam exilis vel futilis quoque. Nihil itaque est, quod a me nitidum & ornatum quasi sertis Musarum viridibus, expectetur. Dolor & indignatio aliquid interdū exprimit μονῳδίας instar, in tanta temporum tristitia & hominum sceleribus. Verùm de his etiam satis. Te bene valere & dignitate prosperitateq; augeri opto. Vale. Clariss. virum Ehemium meis verbis ut officiosè & studiosè salutes, abs te peto. Iterum vale. D. IX. M. Ianuarij.

Scripta est anno Christi

CIↃ IↃ LXXIII.

CORRIGENDA.

Prior numerus paginam, alter versum indicat.

Pag. 20. V. antepenul. lege supellex. 26. 5. gnavus. Eadem pag. post hunc versum, Si decus nullus scatuisse mendis, subjunge omiss.

Qualium libros prope constat omnes
Esse refertos.

Ibidem V. penul. gratus. 29. 14. Qualeus. 30. v. ult. agitate. 35. 26. falsus. 60. 19. optimè. 78. 1. morerus. Ibidem v. antepenul. aluminosam. 88. 4. PALLAN- *Ibidem v. penul. Hine. 90. 24. Figendum. 102. 4. est? 103. 13. lycea. 110. 11. testudinis. 112. 2. Musice. 121. 6. post amne scribe tuli, 127. 3.* -STADIO. *153. 10. indignam. 154. 2. sous. Ibidem v. 15. lasch. 157. 19. exemta. 159. 5. tua. 175. 18. amnus. 180. 10. Reddiderit. 183. 5. Ω t 186. 16. numer. 189. 14. petisit. Ibidem v. 18. Comp.*

IN FLVM.

P. 19. V. 18. foribus. 20. 13. modos: 20. 16. cithara. 24. v. penul. subintr. us. 25. 19. sali. 26. 15. Squamig. 27. 11. ex. 30. 14. IN.

FINIS.

F. FIDLERI

FLVMINA, CARMINE DESCRIPTA.

E FIDII RI

FLVMINA.

CARMINE

DESCRI-

PTA.

AD THOMAM REDIGERVM VIRVM NOBILISS.

SI libet & pateris, Rediger doctissime, faxo
Nil usus magici fraude ministerij,
Vt citò vel liquidũ trans aëra, nõ sine pẽnis,
Ipse voles, vel aquis absq; madore nates;
Triginta fluvios una visurus in hora,
Quidquid & his junctum Teutonus orbis habet:
Castalia fluvios scatebra (inquam) jugiter auctos,
Quos rediviva canit Fidleriana chelys.
Te citharæ cantusque juvant, juvat Aonius fons:
Pennæ sunt citharæ, fons hic egenus aquæ est.
Nabis in hoc; illis per inane volabis. Ab astris
Sic amneis, & ab his amnibus astra petes.

MELISSVS.

EX EPISTOLA VVOLVFGANGI HALLERI CONSIL. PALATINI AD P. MELISSVM SCHEDIVM FRANCVM P. L.

MITTO quæ pollicitus sum è Felicis Fidleri poëtę Laureati penes me relictis libris, descriptionis quorundam Germaniæ fluminum atq; aliquot insuper epigrammatum fragmenta quędam. Sunt & alij annotationum ejus poëticarum centones apud me, sed confusum omninò chaos; ex quo nemo facile se explicaverit. De his quæ mitto tuum esto judicium an prelo digna sint nec ne. Quicquid verò de his constitueris, remitti mihi centones istos optarim. Benè sempiternum vale optime mi Melisse. Dat. ipso die Brumæ. Anno M D LXXII.

VVOLFGANGVS HALLER P. MELISSO FR. S. D.

MItto Felicis Fidleri centonum reliquorũ, quæ hactenus penes me fuerũt, fragmenta omnia. Annotationes in margine tam centonum istorum, quàm poëmatum antea tibi transmissorum positas, manu Georgij Sabini poëtæ

poëtæ & oratoris clarissimi scriptas puto. De vita, cõditione & obitu Fidleri quod scribam nihil aut parum habeo. Prima notitia mihi cum illo VVittenbergæ anno 1545. intercessit, neque tamen multum ejus consuetudine usus sum: nam nec ætas id tulit, quum annis ille me pluribus superaret; nec temporis brevitas, quia insequente statim anno 1546. à meis domum revocatus, VVittenberga relicto illic Fidlero discessi. Venit is quidem post id tempus, anno nimirum 51. in comitijs Augustanis denuo ad me in aulam Cæsaris Caroli V. atque M.tis S. aulam aliquamdiu proprijs sumtibus secutus, conditionem quæritans; superioris temporis notitiam atque amicitiam mecũ initam renovavit: atq; ingruente bello, quod ducibus Mauritio electore Saxoniæ, & Alberto marchione Brandenburgico anno 52. contra Carolum Cæsarem gestum est; dum ad obsidendã urbem Metensem Cæsar Carolus cum exercitu profectus esset: Fidlerus in exercitu Cæsaris, officium auditoris seu judicis civilium actionum seu controversiarum, inter eos ortarum, qui nec aulæ Cæsareæ nec militiæ addicti essent, adeptus; ad finem anni 52. in castris ad urbem Metensem febri correptus, atque inde Theonvillam delatus; sub initium Ianuarij anni 53. unà cum sinistro crure, quod frigore emortuum ex castris tulit, & ne pars sincera traheretur atque

itidem corrumperetur, ſuadentibus medicis reſecandum ei fuit; tertio poſt die vitam quoque amiſit, ibiq; ſepultus eſt. Quis ortus, qui parentes, quæ ſtudia, quæve vita Fidleri ante primam quæ mihi cum illo interceſsit notitiam, fuerit, ignoro. Ingenio, literis & moribus egregiè excultum fuiſſe, judicioq; valuiſſe, teſtantur qui noverunt illum omnes. Hæc habui quæ de Fidlero ad te ſcriberem. Quod ſupereſt, quæ unà cum his meis accipies Fidleri ſcripta, ejusdemq; epigrammata jam antea tibi transmiſſa, mihi remitti teque rectè valere cupio. Amberga, V. Martij. Anno M D LXXIII.

G. FABRICIVS CHEMNICEN-ſis ad F. Fidlerum.

Dum fœcunda canis Germanæ flumina terræ,
Tincta tibi Aonio flumine labra probas.

FLVMI-

FLVMINVM GERMANIAE DESCRIPTIO:

AVCTORE FELICE FIDlero, Borusso, P. L.

RHENVS.

PRaecipuas inter Germanica flumina partes
Ortus ab Alpino vertice Rhenus habet:
Cui decus impij, sceptriq; resignat honores,
Quæ rigat Ausoniũ Tybridis unda solum.
Principio geminos rauca sub valle meatus
Quærit, & effusis præcipitatur aquis.
Curia quæ sedes Romani præsidis olim
Floruit, in dextro littore prima jacet.
Cuiq; recens tribuit vetus urbs Constantia nomen,
Non immutato perfluit amne lacum;
Nec commixtus aquis, viridiq; colore retento
Tingit ad occiduas Raurica rura plagas.
Hinc Nemetes & Vangiones, Vbios q; pererrat,
Et qua juncta mari Belgica terra patet.
Vastus ibi trifido prolapsus in æquora cornu,
Oceano puri fluminis addit aquas.
Rhetia quæ nivibus saxis q; rigentibus horret,
Auriferi Rheni dicitur esse parens.

NECCARVS.

NEccarus exoritur celebri conterminus Istro,
Imminet Abnobijs qua Nigra sylva jugis.

Dux ubi iura tenet Virtembergenſis, in oram
Labitur, & medij perfluit arva ſoli.
Teque novenarum ſedes Tubinga ſororum
Alluvie muros prætereünte rigat;
Et petit Eſlingam, ſenos ubi virgo per annos
Grande puellari ventre fovebat onus;
Innatumque ſuo deferri corpore monſtrum
Fecerat indigenis hospitibusque fidem:
Donec inaudita commenta latentia fraudis
Turpiter amoto ſunt patefacta dolo.
Flectitur hinc gelidæ factus vicinior arcto,
Sertaque pampinea fronde revincta gerit.
Credibile eſt eius, quia nomine gaudet eodem,
Miſceri ſuperis à Ganymede merum.
At ſimul Encingum, Cocharum laxtumque recepit,
In Rheni virides præcipitatur aquas.

MOENVS.

MOns ubi Francorum ſpecula proſpectat ab alta
Pinifer, aſſurgis flumine Mœne tuo.
Francica vitifero dimenſus iugera tractu,
Cernis anhelantes Phœbus ut abdit equos;
Herbipolinque rigas, ubi divæ virginis arcem
Fanaque ſublimi condita monte vides.
Hinc ubi de lecto ſententia Cæſare fertur,
Dividis obliquis oppida bina vadis;
Commixtusque patri, qua ſtat Moguntia, Rheno,
Cæruleas vitreo gurgite volvis aquas.
Vrbs ſortita tuo nomen de flumine ſervat;
Nam veteri dictus nomine Mogus eras.

Multa

Multa per hanc urbem lapidum monumenta vetustas
Extruxit varijs conspicienda locis.
Drusus & heic statuit procera mole colossum,
Dictus is a forma nomina glandis habet.
Heic quoque bellando matura cæde peremtus,
Busta sepulturæ condita Drusus habet.

VISVRGIS.

Effundit celerem Turingica sylva Visurgim,
Hessia montanis qua iacet orta iugis;
Cattorum veteri qui flumine gressus ab agro,
Alluit undoso Saxonis arva vado.
Ripa sinistra moras flexo trahit amne, rigatque
Crebra paludosis Vestphala rura locis.
In quibus herboso viridantia pascua flore
Ornat, & armentis prata liquore fovet.
Inclyta spumifero contendit ad oppida passu,
Ad cuius ripas ultima Brema iacet.
Incipit immenso laté distendere tractu
Flumina, Teutonico facta propinqua salo;
Albiacæ donec contermina fluctibus oræ
Oceani refluas ingrediantur aquas.
Quando sub Augusto bellator Cæsare Varus
Adderet Ausonio Teutona regna solo;
Pugna ferox alti prope lata fluenta Visurgis
Vestphalicam multa cæde replevit humum:
Nam Dux Arminius, Germanaq; pectora ferro
Straverunt turmas Itale Vare tuas.
Tu quoq; sub propriis cecidisti saucius armis,
Atque tua laudem cæde Visurgis habet.

Te duce consumtis legionibus, inclyta Roma
Gloria funestis est labefacta modis.
Num tibi tunc animos Germania, Cæsar, ademit,
Incussitq; tuis urbibus hoste metum?
Diceris audita miseranda strage tuorum,
Illisum foribus debilitasse caput;
Muniviſſe tuam positis custodibus urbem,
Et liquet attonitum te voluisse mori.
Et vovisse Iovi spectacula publica ludos,
Si modò Germano tutus ab hoste fores.
Tantus in Arminio pro libertate tuenda
Ardor, in adverso milite terror erat.

AMASVS.

Prosluit Hesiacis Amasus de montibus ortus,
Et per Vestphalicam cærulus errat humum.
Vestphaliæ duplices referunt de nomine causas;
Vna, fidem quare promereatur, habet.
Sunt qui Vestaliam dicant, quia lucida Vesta
Germano veteri numina culta ferunt.
Altera de linguæ proprio sermone recepta
Causa magis certas est habitura notas.
Qui venit occiduo de cæli cardine ventus
Dat tibi cum pullo Vestphale nomen equo.
Hoc insigne vetus sub milite Saxo gerebat,
Cuius magna prius pars tua terra fuit.
Cumq; plagam teneas, qua mergitur æquore Titan,
Significat positum syllaba prima loci.
Has ubi cæruleo peragrarit flumine terras,
Atq; coloratam gramine pinxit humum:

Vda rebellantis Frisij secat arva, rigatq;
Embda tuas fluvio proximiore domos.
Inde via fessus, cumuloq; gravatus aquarum,
Ingerit Oceano pondera vasta patri.
Bructerus infelix Amasi congressus in undis
Adversus classem bellice Druse tuam:
Marte cruentato navalia prœlia gessit,
Atq; dedit victas cæsus ab hoste manus.

LVPPIA.

LVppia Vestphalicis fontem derivat in oris,
Non procul a patriæ finibus Hesse tuæ.
Vestphalicos radit campos, ubi tendit ad urbem,
A fluvio Lippam prætereünte vocant;
Inq; diœcesi, tribuit cui nomen Iulus,
Subÿcit imperio se vage Rhene tuo.

LANVS.

STat nemus Hercyniæ soboles genuina parentis,
Claudit ab Hessiacis Francica rura iugis.
Cumq; situm teneat, fert unde Favonius auras,
Dicitur occiduæ nomen habere plagæ.
Hinc Lanus exoriens, sylvaq; egressus opaca,
Hessiacos tardis flexibus ambit agros;
Marpurgumq; petit, sacris domus inclyta Musis
Quæ viget, & magno vate superba fuit.
Exosus veterum deliramenta deorum
Hessus, & antiqui facta profana Iovis,
Pro Iove cœlestemq; patrem, Christumq; canebat
Ad vada formosi fluctibus orba Lani;

Et

Et sacra divini referens oracula verbi,
Movit Iesseæ mystica plectra lyræ.
Hoc Lanus ipse refert, auditaq; verba recantat
Humida Rhenanæ cum subit antra domus.

MOSA.

MOsa redundantes Eburonicus eggerit undas
Montis ubi Vogesi frigida terga rigent.
Arva Lothringorum spectans confinia terræ,
Belgica cymbiferis oppida stringit aquis.
Gallicus adversos cum cæde Lotharius hostes
Sterneret, & pulso victor Othone foret,
Vix sibi, captivo ne vincula Marte subiret,
Fertur Otho celeri consuluisse fuga.
Nactus & Arduennæ penetralia devia sylvæ
Dicitur occultis delituisse iugis.
Irrigat has nemoris vicino gurgite partes,
Perq; Sicambrorum jugera Mosa fluit.
Hannoniam spectant ripæ vada curva sinistræ,
Dextra rigat fines Geldria parva tuos.
Excipit hunc Vachalis, cornu spectabile Rheni,
Insula fit Batavum quo dirimente solum.
Immemor officij liquidissime Mosa videris,
Rhenus & ingratas excipit hospes aquas.
Namq; tuo regi iunctus, nomenq; decusq;
Mutato Rheni nomine solus habes.

MOSELLA.

EDitus insigni Vogesi de rupe Mosella
Tullingos placido murmure lapsus adit.

Obrin-

Obrincam veteres dixisse feruntur eündem,
Sortitur dubiam vox tamen ista fidem.
Flava sub immenso spectatur arena profundo,
Oblita cœnoso nec latet unda luto.
Imperiosa Nini Babylona Semiramis uxor
Regia defuncto coniuge sceptra tulit,
Privignumque suum patria de sede fugatum
Trebeta, diversas iussit adire plagas.
Is fugit à regno, dura cogente noverca,
Et venit ad ripas culta Mosella tuas,
Disponitque loco muros; & condidit urbem,
Cui, quod adhuc retinet nomen habere dedit.
Treveris hæc urbs est, quæ multis paruit annis
Subdita principibus Belgice Galle tuis.
Trevir ab antiquis Gallorum gentibus ortus,
Nobile virtutis nomen amore tulit;
Et meruit fortis sub Cæsare miles Iulo,
Copia Pompeij cum daret acta fugam.
Vrbs, ubi tranquilli Rheno levis unda Mosellæ
Confluit, à fluvio nomen utroque tenet.
Fortunate viges æternis laudibus amnis,
Nec tuus ignotas alveüs abdit aquas.
Contigit Ausonij docto tibi carmine vatis;
Nescia longævo tempore fama mori.

ATHESIS.

ALta Tridentinis ubi rura sub Alpibus extant;
Est lacus; hinc Athesis præcipitatus abit,
Alpinasque replet stridenti murmure valles,
Et ruit ad fines Itala terra tuos:

In

In quibus ex collo natas gerit accola strumas,
Et liquidas tumido gutture sorbet aquas;
Quæq; suum iactat nato Verona Catullo
Nomen, ad illius littora structa iacet.
Hinc qua spumiferis mare fluctibus Adria pulsat,
Occulit undarum vi superante caput.

DANVBIVS.

Danubius fratri diversus origine Rheno
Surgit, ab Hercynio progred turq; iugo,
Hucq; iter obliquum tepido convertit ab Austro,
Vnde nigri surgit Memnonis alma parens.
Suevica perlabens, & Norica iugera findit,
Austriaciq; rigat pinguia culta soli:
In quibus intorto sinuatos vortice gyros
Circinat, & versas torquet ad ima rates.
Heic quoq; Scylla rapax, heic irrequieta Charybdis
Devorat immani nautica vela freto.
Pannonas inde feros, & Iazygas alluit Ister,
Mutatoq; recens nomine nomen habet.
Præterea Mysosq;, sagittiferosq; Triballos,
Spumifer innumeris amnibus auctus adit:
Donec ad extremum septena per ostia lapsus,
Aequoreas intrat Nilus ut alter aquas.
Miscet Iasonio pulsatum remige pontum,
Exilij tribuit qui tibi Naso locum.

LICVS.

Flavus ab aërijs ducit Licus Alpibus ortum,
Spectat & Arctoum, qua riget aura, polum.

Magnus

Magnus ad illius ripas Otho contudit Hunnos,
Teutonico intulerant qui fera bella solo:
Hinc procul aspectis Augustæ mœnibus urbis
Fertur, & inclusas alveüs arctat aquas.
Sæpe tamen positas egressus flumine ripas,
Mollia cum viridi gramine prata tegit.
Vindelicos memorant, & Rhetica iugera quondam
In medio positum dissociasse Licum.
Amnibus hic varijs sumtis, Vindaque recepto,
Regia Danubij fluminis antra subit.
Hinc patet antiqui quæ nominis extet origo:
Vindelicis nomen Vinda Licusque dedit.

OENVS.

ERigit Alpinos rupes ubi Iulia montes
Surgis ab exiguo non procul Oene lacu:
Vt ruit Italicas Athesis violentus in oras,
Sic ad Germani iugera flectis iter.
Demulces gelida labens sub valle Tirollos,
Arvaque cæruleus Norica findis aquis.
Quando latrocinij liquido petis agmine campum,
Pallide quid tristes concipis Oene notas?
Ah trepidas diræ perculsus imagine cædis,
Facta sub armigero quæ Theodone fuit.
Hinc prope Passaviam, Bavaros quæ continet, urbem,
In vada cum strepitu Danubiana cadis.
Maximus has ripas quondam Aemilianus amavit,
Vndaque vix illi carior ulla fuit.
Vrbs quæ ponte recens nomen sortitur ab Oeni
Sæpe recessuro causa doloris erat.

NABVS.

NABVS.

Alta cacuminibus, crebraque recondita pinu
Iugera sunt vitrei fons & origo Nabi.
Qui fluit algentis Boreæ conversus ab axe,
Vnde flat imbriferi lenior aura Noti.
Narisci habitata prius perlabitur arva,
Corrupté Norcam tempora nostra vocant.
Cuique sub imperio fecere palatia nomen,
Sancta Palatinus fert ibi iura Comes.
Hac ubi transivit, vestigia torquet ad urbem,
Quæ ratis arguitur nomen habere bonæ.
Auctus ibi socijs Labaro Vilsoque duobus,
Succedit tectis Ister amice tuis.

ÆGRA.

Aegra, Bohemorum qua Pinifer imminet oris,
Fusus ab angusto fonte recludit iter.
Deserit occiduas, Titan ubi mergitur, undas,
Fronte resurgentes Solis adortus equos.
Quæque vocatur aquis de prætereüntibus Aegra
Illius ad ripas ædificata iacet.
Heic ubi Cæsareis Adilam Fridericus in ulnis
Detinuit, thalamos constituitque novos.
At Lithomericios cum transyt advena colles,
Cymbifer Albiaco iungitur Aegra vado.

ALBIS.

Exit arenosus Moravorum finibus Albis,
Quaque colis sylva cincte Boheme solum.

Lapsus

Lapsus ibi medio per rura Bohemica cursu,
Perq; nemus gelidis amne volutus aquis;
Implet inexhausto sitientia prata liquore,
Multaq; vicinis commoda præstat agris.
Arva rigat, lætis ubi gaudet Misnia campis,
Et qua Saxonica gleba secatur humo,
Carolus insigni conducto milite Cæsar,
Obruit heic aciem Dux Friderice tuam.
At tu consilijs nimium confisus & armis,
Tristia commoto prœlia Marte geris.
Dispersuntur equi, mixtæq; sine ordine turmæ
Diversas quærunt hoste premente vias.
Tu potius quàm sit tibi terga dedisse pudori,
Hostilem mavis sustinuisse manum,
Ingq; tua facie pugnando vulnus honestum
Longaq; sub domino Cæsare vincla pati.
Nec minus Albiacis sua prata refrigerat undis
Marchia, Lombardis quæ fuit ante domus.
Inde salutatis Hamburgæ mœnibus urbis
In refluum lato funditur ore salum.
Nobilis, & multis felix virtutibus amnis
Quando, tuæ laudes ut moriantur, erit?
A te progeniti fortes memorantur Othones,
Per quos tam latè Teutona regna patent.
Dulce novenarum turba cantante sororum,
Te prope festivos duxit Apollo choros;
Nec semel ad carmen properatos sistere cursus
Visus es, & lento præterijsse gradu.
Salve Teutonicis o flumen amabile terris,
Cui tribuit summum quælibet unda locum.

Maior es Eridano, nec Idaspi laudibus impar
Qui vehit ex imis aurea dona vadis.
Se debere tibi Germania tota fatetur
Quicquid ab ingenua nominis arte gerit.

SALA.

PInifer arctoum qua vertice conspicit axem,
Lenis ab inculta Sala remanat humo;
Prætorumq; secat terras, lambitq; Doringos,
Misnenses quorum finibus arcet agros.
Vrget iter, celeratq; gradum properantibus undis,
Vt subeat colles flumine Iena tuos;
Heic ubi Stigelius Musas complexus ad Ilmum,
Mulcet Arionia saxa ferasq; chely.
Serpit & accensis qua fumigat Halla salinis,
Quæ restagnantes fontibus haurit aquas.
Hunc gravat Hercynia de rupe profectus Hieras,
Miscet & Albiacum te prope Calba vadum.

HAVELVS.

CIncte comas ulvis, & creber Havele salicto,
Fontem Marchiacis finibus ortus habes.
Innumeros patriæ fœcundo gurgite pisces
Suggeris, & regni divitis antra tenes;
Saxonibus q; procul mittis, gentiq; Doringæ
Grandia pignoribus plaustra repleta tuis.
Effusus stagnas quasi Mintius alter, & urbem
Perfluis à Brenno quæ duce nomen habet:
Quo Senones Galli ductore ad Tybridis undam
Diripuere tuas Roma superba domos.

Vrbe

Vrbe sub hac Brenni fulsit lux prima Sabino,
Qui puer ad ripas repsit Havele tuas.
Inde voluptus aquis socio coniungeris Albi,
Marchica Saxoniam qua prope terra tacet.

SPREA.

FInit inaccessos ubi sylua Bohemica montes,
Et petit æquato Slesica rura solo;
Lubricus exiguo Sprea fonte regurgitat undas,
Marchiacosq; vago flumine findit agros.
Auctus aquis cursu clarissima dividit urbis
Mœnia, cui nomen Parrhasis ursa dedit:
Heic ubi magnificas Ioachimus Marchio sedes
Struxit, & arx mira stat fabricata manu.
Fama, Mycenæi sic facta palatia Regis,
Vrbs ubi clarebat Sparta, fuisse refert.
Hanc Sprea præteriens oculis rorantibus arcem
Suspicit, & tecti culmina summa notat.
Heic foribus capitur rutilo fulgentibus auro;
Heic domus Oebalio marmore fulta nitet.
Materiam commendat opus; iam sistere cursum
Vellet, & haud aliqua mobilis esse via,
Ni natura vetet, lentumq; sequentibus undis
Obruat, & tardas non sinat esse moras.
Non tamen inde procul socio miscetur Havelo,
Cui tam regificas narrat in amne domos;
Et quondam rigido præstantes milite Suevos
Commemorat ripas accoluisse suas.
Quærenti duplici cur nomine gaudeat unus,
Se vetus à Suevis nomen habere refert.

ODERA.

Effluit Albiaco conterminus Odera fonti,
Sortitus Viadri nomen hic ante tulit.
Alluit extructis insignem turribus urbem,
Qua non maiorem sub Iove Silesus habet.
Marchiacos campos, Pomeranaq; perfluit arva,
Et petit Arctoi sydera tarda poli.
Humida pampinea redimitus tempora vite,
Cultori præbet musta bibenda suo.
Audijt ille pias modulantes carmina Musas,
Cantatusq; sacris vatibus auxit opes.
Heic doctas Eobane fides pulsare solebas,
Heic Huttene tuos audijt unda modos:
Nomen & antiqua referens a gente Sabinus
Threïcio Viadri carmine mulsit aquas:
Non secus ac cithara præstans Rhodopeius Orpheus
Ad ripas cecinit corniger Hebre tuas.
Inde recesserunt Musæ, niveumq; secutæ
Pegason, assistunt Bregela flave tibi.
At vagus obliquo prolabitur Odera cursu,
Arctoasq; suo gurgite miscet aquas.

VARTA.

Varta niger surgit nemoralibus editus arvis
Heic ubi frugalis culta Polonus arat:
Vtq; iacet regio per apertos libera campos,
Labitur in planis irrequietus agris.
Ille sub obscuris altissima condidit undis
Regna, tridentifero vix adeunda deo.

Prate-

Prætereinsq; tuam Posnania nobilis urbem,
Plena soporiferis piscibus antra tenet.
Inde Polonorum subitó digressus ab oris,
Lambit arenoso Marchica rura vado,
Et prope Costrinum Viadri confunditur undis,
Atq; nigrum longo tramite servat iter.
Hic locus hybernæ contemnit frigora Brumæ,
Nec stringenda pigro dat sua terga gelu.
Triste caput glacie cum cætera flumina condunt,
Non occultato liber in amne fluit.

ISTVLA.

ISTula Carpathijs ducens è montibus ortum,
Pannonis exiguo iugera fonte secat.
Excipit hunc regis sedes invicta Poloni,
Quam vetus a Graccho nomen habere ferunt.
Vrbs prope currentem sublimi turre salutat,
Cui grates tremulo murmure rursus agit.
Sarmaticos humectat agros; hinc flexus ad Arcton
Pingue Borussorum perfluit amne solum.
Labitur aggeribus ripam vallatus utranq;
Et prope declives eminet altus agros.
Imbribus exundans, nivibusq; è monte solutis
Crescit, & insanas fluctibus auget aquas.
Inde novas secat ille vias, fluctusq; nocentes
Evomit, & spacio liberiore ruit.
Hic procul agger abit, motu disiectus aquarum,
Cultaq; præcipiti vortice mersa tegit,
Involvitq; trabes, raptasq; voragine villas
Sorbet, & in latos expatiatur agros.

At tandem vario Dantiſci mœnia flexu
Præterit, & Codanum proluit amne ſinum.
Heic ubi defeßis ſtatio ſecura phaſelis
Sarmaticum nautis per mare præbet iter.

NOGADVS.

I Stula ſub fluvio cantante Boruſſide Nympha,
Fertur ad auditos incaluiſſe ſonos.
Suſtulit ex illa natum, Nogadumq; vocavit,
Cui cingunt vitreas ſpicea ſerta comas.
Alluit ingentem ſpacioſis mœnibus arcem,
Quæ de Chriſtipara nomina matre gerit.
Fornicibus quæ nixa cavis ſpecubusq; profundis
Condita, vix aliquam fertur habere parem.
Hos ubi præterijt vicino flumine muros,
Ampla Boruſſiaci fertur in ora ſinus.

OSSA.

TV quoq; Pruſſiaca pandis tellure meatus,
Et flexu parvas Oſſa moraris aquas.
Te recipit feſſum placido pater Iſtula vultu,
Hic ubi Grudenti mœnia celſa rigat.

ALLA.

ALla Boruſſiacis in finibus ortus, ab Auſtro
Vergit ad arctoas amne fluente plagas.
Non procul urbs (liquido qua ſtagno pāditur amnis)
Nomen ab invidia quæ trahit, inde iacet.
Hinc Tydemanne tuam Præſul clariſſime ſedem
Alluit, & levibus murmura reddit aquis.

Exerit

Exerit amne caput, vitreisq; ſedilibus udas,
Te prope quando fluit, convocat ore deas;
Exercetq; choros ad amabile carmen in orbem,
Pierides quod te plectra movente canunt.
Summe vir Aonidum decus & ſpes ampla ſororum,
Ad tua nil mirum ſi dea plectra ſalit.
Qui fidibus ſacras imitatus Apollinis artes,
Horrida Mœonio carmine ſaxa trahis.
Hæc conceſſa tibi facundæ gratia linguæ
Threicio vati te facit eſſe parem.
Gratus es interea, Muſasq; dediſſe fateris,
Quicquid ab ingenio nobilitatis habes.
Rurſus & ingenuo complexus amore Camœnas,
Quo decet Aonidum pectore ſacra foves.
Ipſe licet non ſim numerandus in ordine vatum,
Eſſe tibi curæ carmina noſtra ſinis.
Richius ut preſſit moribundo corpore lectum,
Qui mihi vicino ſanguine iunctus erat:
Sit tibi cura mei Præſul venerande nepotis,
Cum ſub humo gelida contumulabor, ait.
Verba memor retines ſupremæ reddita voce,
Nec cadit ex animo noſtra Thalia tuo.
Ille favor doctas quo iam complecteris artes,
Immortale tibi nomen in orbe parit.
Quilibet Aonijs tua pectora dedita Muſis
Suſpicit, & vatum ſpemq; decusq; vocat.
Hoc tuus Alla refert, exceptus ab hoſpite Bregla,
Et celebrant laudes amnis uterq; tuas.

BREGELA.

Bregela fundit aquas, sylvestribus ortus in agris,
Condit ubi rabidas Prussia vasta feras.
Ille verecundæ fertur sacer esse Dianæ,
Quo sua venatu corpora fessa lavat.
Ripa frequentatur rictu deformibus ursis;
Has aper, has alces, has bibit urus aquas;
Deposuit q; truces animos, quos tempore longo
Mixtus inhumanis traxit in amne feris:
Hospitium sacris quia præbuit utile Musis,
Quas manus Alberti Principis alma fovet;
Et quibus, aërij qui nubila findit Olympi,
Pegasus Aonias fonte recluſit aquas.
Ac veluti mugire feras, sylvas q; sonantes
Audit ad Eoæ lustra profunda plagæ:
Sic ubi labentem recipit Mons Regius, audit
Ad strepitum doctæ carmina facta lyræ,
Saltantes q; videt Satyros, teneras q; Napæas;
Vt q; leves ducat Nais in orbe choros.
Sis salvus, semper q; tuis fœliciter undis
Labere, te flumen nobile quisq; canat.
Gratus es Aonidum turbæ, quam murmure dulci
Afficis, & citharæ pulsibus addis opem.
Odera Mæonides delectat, & inclytus Albis;
Nunquid in hoc numero Bregela nullus eris?
Nec minus innumeros alto sub flumine pisces,
Plena q; lutrarum millibus antra tenes.
Tendis ad occasum vagus amne, sinum q; subintas,
Frigida Sarmatici quem facit unda maris

MEMELA

MEMELA.

Memela saxosa prolapsus origine, fontem
Non procul a Grodnæ finibus urbis, habet.
Hunc dixere Chronum, sed nescia turba locorum
Nomen id alterius fluminis esse putat.
Labitur ad Caunam, nullis circumdata muris
Quæ patet, & geminis proxima gaudet aquis.
Hic multæ glomerantur apes, & in arboris antro
Aedificant dulces, rege iubente, favos.
Trinacris aërijs populosa volucribus Hybla,
Quæ de flore novo pinguia mella legunt;
Aut iuga Cecropij quæ melle probantur Hymetti,
Non superant Litavas, si numerentur, apes;
Quas vagus enutrit fluviali Memela rivo,
Dum viridem multo flore colorat humum.
Et merces varias, & apum vehit amne labores,
Grataq; vicinis fert alimenta locis;
Miscetur q; mari, sinus hic ubi Balthicus errans
Sarmatici pulsat littora curva Sali.

GILGA.

Scinditur in geminas sinuosus Memela partes,
Occiduis quarum leva feritur aquis.
Ipsa suos cursus non longo fine moratur,
Quam Gilgam ripæ turba propinqua vocat.

DVNA.

Dvna cavis lacubus, sylvisq; palustribus exit,
Imperij sceptrum Dux ubi Moscus habet.

Volvitur ad Russos; hinc flumine lapsus aperto
Fertur, ubi campos vomere Livo secat.
Præterit immensis tumefactus motibus arcem,
Quæ vetus a Duna flumine nomen habet:
Occiduasq; petens deflexo gurgite partes,
Profluit ad muros inclyta Riga tuos.
Præteriens illic undoso mœnia tractu,
Extat Sarmatici ianua laxa maris.

NARVA.

PAllet Hyperboreis ubi terra propinquior astris,
Vndaq; concreto torpet operta gelu:
Est lacus, a flavo Livonica prata Rutheno
Qui secat, & latas occupat altus aquas;
Dictus ab indigenis vulgato nomine Pævus,
Spumigerum vasto claudit in amne gregem.
Parte sui media limes distinguit utrumq;,
Assignans domino littora certa suo.
Hic lacus Arctoum qua fluctibus aspicit orbem,
Candide Narva tuas eiaculatur aquas;
Et quæ perpetuo tibi suggerit agmine Pævus
Sarmatico iungis pura fluenta mari.

FINIS.

ANNO.

ANNOTATIVNCVLAE.

Meliſſus lectori S.

POſthumum eſt opus, lector candide, quod vides. Quòd ſi ſupervixiſſet autor, nõ dubium eſt, quin & plura flumina prætermiſſa fuiſſet adjecturus, & hæc ipſa, quæ nunc primùm eduntur, quibusdam in locis vel mutaturus vel uberiore etiam deſcriptione illuſtraturus: id quod autographum ipſum teſtatur. Apparet autem & notis in margine additis, quàm diligentiſimé archetypũ fuiſſe à viris aliquot doctis examinatũ. Earum duæ præcipuè notarũ formę ſunt: una majuſculo, altera minuſculo exarata calamo; diverſa tamen manu. Paucula tantùm nos inde excerpſimus, & in hanc cõjecimus ſchedam; ijs præteritis, quæ cõmentarij vice eſſe poſſunt. Proinde etiam ſpero, hoc qualecunque ſtudium meũm ipſi Matthiæ Stoio, cui Fidlerus & popularis & familiariſimus fuit, minimé improbatum iri.

IN RHENVM.

—in dextro littore prima] Ipſius Fidleri, ni fallor, manu adſcriptum eſt, .. *a parte locata*, &, *condita parte*. *Curia quæ ſedes*] Diſtichon iſtud

istud ab autore post modo interjectum fuit; nota enim majusculi calami ita habet: *Curia, antiquus episcopatus & Rhom. præsidum sedes huc ponenda.*

IN MÆNVM.

Drusus & heic statuit] Margo sic habet, maiusc. cal. *Tyberius Nero fratri Druso molem hanc mortuo erexit.* Itaque autor subjunxit post vltimum distichon hæc:

Vnde ferunt statuam procéra mole Neronem*
Post obitum fratri constituisse suo.

ubi obiter notãdum, pro *ferunt* etiã scriptum fuisse **vides*: Merebatur quidẽ Mænus paulo prolixiorem, uti & Rhenus, commendationem; sed hoc à Nicol. Rudingero Pisovernate præstitum iri spero: qui etiam Tubarum fortasse celebraturus est; alij poëtæ alios fluvios. Præterea Salæ sive Sali Franconico (nam qui Fidlero ponitur Sala, Turingicus est) ab Andrea Mergileto Alphipolitano etiam peculiare accessurum decus arbitror. Quod eó dico, ut hi duo amici nostri desiderio meo abundè satisfaciant.

IN DANVBIVM.

—Norica jugera findit, Austr.] Notatum in margine; *Hic debebat fieri Reginorũ castrorum,* Batavoduri & Iuliobonnæ mentio.* Cal. minore additũ; **seu Bojoduri*; (id est, Bassau.) Insuper etiã; *Et pontis lapidei, quem ajunt ædificasse imper. Trajanum.* Porrò sub finem ultimi distichi adscriptum

ptum legitur; *Non omittendum censeo, quòd solus Danubius ab ortu suo usque ad Pōtum sexaginta navigabiles amnes recipere feratur.*

IN LICVM.

—Vindáque recepto] in marg. *Virdo rectè dicitur.* di Werdach. *Vindelicis nomē Vinda Licusque dedit*] Hoc obeliſco fixum eſt, & hæc addita; *Achilles Gaſſarus omninò negat à Vinda & Lico dictos Vindelicos; ſed à Vandalis habere nomen.*

IN OENVM.

Vrbs quæ ponte recens] Ita primùm exaratū fuit; *Vrbs quæ ponte vetus nomen, &c.* ideoque in margine quidam annotavit; *Hic novum ſcriberem, cum veterum Oenipōtes certò hodie Oetingēn in Bavaria dicatur.* Appoſuit autor alios duos verſus, de quibus lector velim judicet, quorum alter ſic habet:

Vrbs quæ nomen habet de ponte volubilis Oeni.

alter in hunc modum;

Vrbs ſortita recens nomen de pontibus Oeni.

IN ALBIM.

—ſortes memorantur Othones Per quos] Margini hæc inſcripta ſunt. *Hic Parthenopyrgi mentio fiat, quæ caput gentis Vandalicæ & metropolis totius Germaniæ eſt.*

IN SALAM.

—Sala remanat humo] Antea legebatur; *Sala ſcaturit.* Ego ſubſtitui verbum Lucretianum; non quòd de quantitate ſyllabarū dubitem, quandoquidem in fine hendecaſyllabi veteris, legi-

ris legitur *scaturiēteis*: sed quia eiusmodi dictiones, ut sunt *Stétere, stetistis, spopondit, stupendus, sceleſtus, statutus, &c.* in versus elegiacos ingredi nequeant. In quo mirū est, quàm pleriq; omnes hallucinentur verſificatores; in primis verò Teutones: præterquàm enim quòd judicium aurium non consulunt, etiam nulla veterum nituntur autoritate.

IN SPREAM.

Vrbs ubi clarebat] Autor scripsit; *Vrbs ubi clara jacet.* Ego imperfectum substituendum censui.

Cui tam regificas] Et hoc à me ità mutatum est, quum legeretur; *Cui sibi spectatas, &c.*

IN ALLAM.

—liquido qua stagno panditur amnis] Sic ego hemistichion istud variavi: duriusculū enim aurib. meis videbatur, quod autor scriptum reliquerat; *liquido qua pandit flumina stagno.* Neq; verò probarim illud Horatij; *—quocunque in fornice stantem.* Vitavit certè istam asperitatem Tibullus in elegis suis: nā quom dicere posset *—coronato vertice stare boves*; maluit

—nunc ad præsepia debent
Plena coronato stare boves capite.

Supra quoq; IN NECARO expunxi *Amne schola muros*, & reposui *Alluvie muros*; propterea quòd primæ syllabæ in istiusmodi dictionib. ut sunt *Stetit, stupet, studet, scopus, stylus, &c.* non rectè in secundā Dactyli brevem cadūt: idcirco etiam in fine Pentametrorū collocari nullo modo possunt. Sed hac de re alibi dicemus.

INDEX

INDEX.

Aegra pag.	16	Mœnus	8
Albis	ibid.	Mosa	12
Alla	22	Mosella	ibid.
Amasius	10	Nabus	16
Athesis	13	Narva	26
Bregela	24	Neccarus	7
Danubius	14	Nogadus	22
Duna	25	Odera	20
Gilga	ibid.	Oenus	15
Havelus	18	Ossa	22
Istula	21	Rhenus	7
Lanus	11	Sala	18
Licus	14	Sprea	19
Luppia	11	Varta	20
Memela	25	Visurgis.	9.

FINIS.

IMPRESSVM FRANCOFVRTI AD MOE-
num, apud Georgium Coruinum, im-
pensis Matthei Harnisch.
M. D. LXXIIII.

Cat. Ackersdyck, Utrecht 1862 n° ~~627~~ 6217 fl. 1-50

1598. 26. Ianu. W. Bartousius.

Posteaquam Amplitudo tua se me mensurum promittit, per hunc puerum ea de caussa domicilium meum ut hic annotetur, petit, ecce habeat. in immunitate Monasterij D. Ursulae ad atram portam, Domicilij haeres est D. Tilmannus Vosmerus.

Waller. Bartoutzius.